



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Theologiæ Sacramentalis Scholasticæ Et Moralis Pars ...

Ad Mentem Doctoris Subtilis Ioannis Duns Scoti D. Augustino conformen

In qua tractatur de Sacramentis in Genere, & duobus primis in specie

Bosco, Jean a

Lovanii, 1665

Sectio Tertia. De Effectu & necessitate Baptismi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73340](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73340)

quem etiam forma illa nata est significare, juxta sententiam, quæ docet, verba, quæ patiuntur varios sensus, accipere determinationem sive determinatam significationem ex intentione proferentis.

Quare tenent Suarez de Virtutibus Theol. disp. 21. de Fide sect. 2. num. 10. Sanchez Sum. lib. 2. c. 8. n. 26. & plures alij, non excusari ab hæresi externa, qui utitur verbis ambiguis, si quidem habeat animum significandi hæresim suam internam, etsi alij propter diversas significationes, quas patiuntur voces externæ, eam non percipiant; v. g. si quis dicat: *Maria non fuit virgo*, volens significare Deiparam. Ergo similiter in præsentis, si dicat: *In nomine Filij, Patris, & Spiritus sancti*, cum animo significandi errorem internum circa processionem Patris à Filio, verè censetur hæreticus externus, quamvis audientes propter ambiguitatem sermonis, hæresim non determinatè percipiant. De quo plura in materia de Fide, ubi de pœnis hæreticorum: hæc sufficiat indicasse probabilitatem istius sententiæ.

His tamen non obstantibus, etiam contraria sententiæ, videlicet formam ita inversam non valere quocumque animo proferatur, à multis constanter asseritur; ut proinde non immeritò annumerari possit & debeat formis dubijs; sicuti eam pro tali

videtur agnoscere Scotus in Reportatis eadem dist. & quæst. n. 6. ibi: *Quidam tamen dicunt, quod si diceretur: Ego baptizo te in nomine Filij, Patris, & Spiritus sancti, non esset rebaptizandus. Credo tamen, quod ordo personarum sit necessarius, ita quod qui destruit ordinem Originis, nihil faceret, sed credo quod talis esset posset rebaptizandus sub conditione.* Ergo censet Doctor talem Baptismum fore dubium, cum absque dubio, & quidem probabili, nemo sit rebaptizandus; nisi fortè Doctor hæc loquatur de Baptismo collato tali forma cum intentione erroris.

Interim probabilius existimamus, quod docuit in primo scripto, quamvis etiam non omninò assertivè, ut indicat ly *Videtur*, quo utitur, dicens: *Tamen non videtur omninò necessarium ex parte Sacramenti.*

Ita ergo intellige primam partem conclusionis, ut licet non sit omninò certa & infallibilis, meritò tamen probabilior & minùs dubia censeri debeat hæc forma: *Ego te baptizo in nomine Filij & Patris &c.* quàm illa: *Ego Patris baptizo te in nomine Filij &c.*

Et hæcenus quidem de principijs intrinsecis Baptismi, materia scilicet & formæ transeo ad extrinseca, quæ non minùs sunt utilia, & seitu necessaria. Incipio autem ab effectu.

Saltem merito dubitari potest.

SECTIO TERTIA.

De Effectu & necessitate Baptismi.

Quod attinet effectum Baptismi, suppono ex dictis præcedenti disp. sect. 4. conclus. 1. 4. & 5. Baptismum conferre gratiam tum habitualementem, tum actualem ex opere operato, & imprimere animæ characterem indelebilem.

Suppono secundò ex dictis præsentis disputatione sect. 1. conclus. 1. Baptismum ex speciali Dei voluntate reddere hominem capacem effectuum aliorum Sacramentorum. Dico *Ex speciali Dei voluntate*: quia sicut de facto nullo alio Sacramento prævio valet Baptismus, & causat gratiam; ita nulla apparet repugnantia, quo minùs, si Deus voluisset, cætera quoque Sacramenta non præmissò Baptismo suos causarent effectus.

Porrò ex eadem voluntate & institutione divinâ, neutiquàm ex natura gratiæ justificantis, præ cæteris Sacramentis

CONCLUSIO I.

Baptismus efficit remissionem omnis culpæ originalis & actualis: omnis quoque pœnæ, quæ pro ipsa culpa debetur.

Sunt verba Concil. Florent in decreto Unionis, ubi agens de effectu Baptismi, ait: *Huius Sacramenti effectus est remissio omnis culpæ &c.* Et ut scires per culpam actualem intelligendam esse, etiam venialem, continuò subjungit: *Propterea baptizatis nulla pro peccatis præteritis imungenda est satisfactio, sed morientes, antequam culpam aliquam committant, statim ad regnum celorum & Dei visionem perveniunt.*

Remissio scilicet omnis culpæ & pœnæ;

Ut ex Florentino constet.

N n 3

Cerrè

Suarez. Sanchez. Talibus utens verbis non excusatur ab Hæresi externa;

63. Imò probabiliter nihil facit.

7. Quis sit Baptismi effectus,

Etiâ specialis, ut quæ ex voluntate Dei.

Certe si peccata venialia non delerentur, indubiè nec pœna eis debita remitteretur, neque baptizatus sine satisfactione statim ad regnum cœlorum perveniret; quippe non intrabit in eam (civitatem cœlestem Jerusalem) aliquid coinquinatum, aut abominationem faciens, & mendacium, Apoc. 21. v. 27.

3.
Et Trid.
tino,

Eandem veritatem definit Concil. Trid. sess. 5. in decreto de peccato originali §. 5. hisce verbis: Si quis per Iesu Christi Domini nostri gratiam, qua in Baptismate confertur, reatum peccati originalis remitti negat, aut etiam asserit non tolli totum id, quod veram & propriam habet rationem peccati, sed illud dicit tantum radi aut non imputari, anathema sit.

Probationem subtexit ex diversis Scripturæ locis, inquit: In renatis enim nihil odit Deus; quia nihil est damnationis q̄s, qui verè confepulti sunt cum Christo per Baptisma in mortem: qui non secundum carnem ambulant, sed veterem hominem exuentes, & novam hominem, qui secundum Deum creatus est, induentes; innocentes, immaculati, puri, innoxij, ac Deo dilecti effecti sunt, heredes quidem Dei, coheredes autem Christi.

Ut quæ significaret se loqui etiam de peccatis venialibus, ac de remissione totius pœnæ, concludit dicens: Ita ut nihil prorusus eos ab ingressu cali remoretur. Remoraretur autem aliquid, si vel peccata venialia non tollerentur, aut tota pœna debita non remitteretur.

4.
Asserent
alium esse
Baptismi,
alium peni-
tentie fru-
ctum,

Quod alijs verbis docet sess. 14. c. 2. ibi: Alius est præterea Baptismi, alius Penitentia fructus; per Baptismum enim Christum induentes, nova prorsus in illo efficiuntur creatura, plenam & integram peccatorum omnium remissionem consequentes: ad quam tamen novitatem & integritatem per Sacramentum Penitentia sine magnis nostris fletibus & laboribus, divinâ id exigente iustitiâ, pervenire nequaquam possumus.

Et fructus
hujus re-
quirere ma-
gnos labo-
res.

Labores autem illi requiruntur in Sacramento Penitentia potius ad remissionem pœnæ, quàm culpæ, eodem Concil. attestante sess. 6. c. 14. ibi: Vnde docendum est, Christiani hominis penitentiam post lapsum multo aliam esse à baptismali, eaq̄ contrivieri non modo cessationem à peccatis, & eorum detestationem, aut cor contritum & humiliatum; verum etiam eorundem sacramentalem confessionem, saltem in voto & suo tempore faciendam, & sacerdotalem Absolutionem, itemq̄ satisfactionem per ieiunia, elemosinas, orationes, & alia pia spiritualis vite exercitia, non quidem pro pœna æterna, quæ vel Sacramento vel Sacramenti voto una cum culpa remittitur, sed pro pœna

temporali, quæ (ut sacra littera docent) non tota semper, ut in Baptismo fit, dimittitur (utique propter ingratitudinem, ut patet ex verbis immediatè sequentibus) illis, qui gratia Dei, quam acceperunt, ingrati Spiritum sanctum contristaverunt, & templum Dei violare non sunt veriti.

Ex quo à contrario collige congruentiam plenissimi jubilæi omnium culparum & pœnarum, quod cuilibet renasci volenti semel Deus voluit concedere, ut ita vetus Adam totus quoad culpas & proprium earum effectum sepeliatur in aquis per meritâ sanguinis & passionis Christi; liquidem prima condonatio solet esse liberalior, in illo præsertim Sacramento, quod expressiùs repræsentat Mortem, Sepulturam & Resurrectionem Dilectissimi Unigeniti Iusj, qui cum essemus inimici, propter nimiam charitatem, quâ dilexit nos, sua sanctissima passione in ligno crucis nobis justificationem meruit, & pro nobis Deo Patri satisfecit.

Sane (inquit Conc. Trid. sess. 14. c. 8.) & divina iustitia ratio exigere videtur, ut alter ab eo in gratiam recipiantur qui ante Baptismum per ignorantiam deliquerunt, aliter verò qui semel à peccatis & demonis servitute liberati, & accepto Spiritus sancti dono, scientes templum Dei violare, & Spiritum sanctum contristare non formidaverint. Et divinam clementiam decet, ne ita nobis absque ulla satisfactione peccata dimittantur, ut occasione accepta, peccata leviora putantes, velut iniurij & contumeliosi Spiritui sancto in graviora labamur.

Cæterum cum gratia, quæ infunditur in utroque Sacramento, sit ejusdem rationis; una quippe per aliam intenditur: potest quoque utrobique esse peccatorum & dispositionis æqualitas; immo in Baptismo quandoque minor dispositio, & majora peccata: liquet tam adæquatam remissionem non fieri vi justificationis hujus Sacramenti præcisè ex natura rei, sed ex liberali prorsus & gratuita condonatione Dei (ut dixi) qui consulens perfectioni novæ Legis, noluit aliquid esse peccatum, quod non totaliter posset remitti vi alicujus Sacramenti.

Adhuc dubitas de veritate conclusionis? Catholica est, non licet; & verò non potes dubitare, si sanis oculis penitentiâ inspectas privitatem hæreticam. Et quæ illa? In Baptismo (inquit) peccata verè non remittuntur, sed solum teguntur, seu non imputantur.

Quis non explodat hujusmodi ineptiam? Quomodo ergo homines sunt manchi & cæci, immo-

In Bapti-
mo totus
homo est
beatus

Trid.
Quis ante
Baptismum
sapposco-
tur peccata
non remittit
peccata

6.
De peccatis
liberis q̄d
potest dubi-
tari

Ne in Hæreticis
accidat
cæcus & man-
chus

Secl. 3. De Effectu & neces. Baptis. Concl. 1. 287

immaculati (juxta Apostolum ad Ephes. 5. v. 26. & 27. Ut illam (Ecclesiam) sanctificaret mundans lavacro aque in verbo vita, ut exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam aut rugam, aut aliquid huiusmodi, sed ut sit sancta & immaculata) & non potius sepulchra dealbata intus plena sanie & fetore? Quomodo exhibetur Ecclesia Deo gloriosa, sancta & immaculata, ante cujus oculos nihil tegi potest, aut aliter imputari, quam est?

Audi quid dicat D. August. lib. 1. contra duas epistolas Pelag. c. 13. Dicunt etiam (inquit Julianus) Baptisma non dare omnem indulgentiam peccatorum, nec auferre crimina, sed radere, ut omnium peccatorum radices in mala carne teneantur. Ecce calumniam Pelagianorum.

Sed quid putamus Doctorem sanctum respondisse? Non aliud certe, quam veritatem orthodoxæ fidei. Quis (inquit) hoc adversus Pelagianos, nisi infidelis affirmet? Dicitur enim Baptisma dare omnium indulgentiam peccatorum, & auferre crimina, non radere, nec ut omnium peccatorum radices in mala carne teneantur, quasi rasorum in capite capillorum, unde crescant iterum refecanda peccata. Nam & istam similitudinem comperi (sua illos adhibere calumnia, tanquam hoc nos sentiamus atque dicamus.

Occurrente objectioni hereticorum, addit: Sed de ista concupiscentia carnis falli eos credo, vel fallere, cum qua necesse est ut etiam baptizatus, & hoc si diligentissime proficiat, & Spiritu Dei agatur, pia mente consistat. Ubi admittit concupiscentiam manere in renatis; quod postea definit Concil. Trident. supra in decreto de peccato originali, ibi: Manere autem in baptizatis concupiscentiam vel fomitem, hæc sancta Synodus fatetur & sentit, qua cum ad agonem relicta sit, nocere non consentientibus, sed viriliter per Iesu Christi gratiam repugnantibus non valet: quin imo qui legitime certaverit, coronabitur.

Nam (ut ait D. August. supra) Ista ipsa carnis concupiscentia in Baptismo sic dimittitur, ut quamquam tracta sit à nascentibus, nihil noceat renascentibus. Ac lib. 2. de Gen. contra Manichæos c. 14. Aliquando ratio viriliter etiam commotam cupiditatem refrenat atque compescit; quod cum sit, non labimur in peccatum; sed cum aliquanta luctatione coronamur.

Concludo cum Apostolo ad Rom. 8. v. 1. Nihil ergo nunc damnationis est ijs, qui sunt in Christo Iesu. Non enim (verba sunt D. Aug. supra, contra duas epistolas Pelagiano: um lib. 1. c. 10.) damnatur, nisi qui concupiscentie carnis consentit ad malum.

Hinc cap. 13. ita scribit: Sed hæc (concupiscentia) etiamsi vocetur peccatum non utique quia peccatum est, sed quia peccato facta est; sic vocatur; sicut scriptura manus cuiusque dicitur, quod manus eam fecerit. Peccata autem sunt, que secundum carnis concupiscentiam vel ignorantiam illicitè sunt, dicuntur, cogitantur, que transacta etiam reos tenent; si non remittantur. At paucis interjectis: Et ideo iam non sit peccatum, sed sic vocatur, sive quod peccato facta sit, sive quod peccandi delectatione moveatur, id est, inclinet ad peccatum, est ei vincente delectatione iustitia non consentiatur.

Que vocatur peccatum quia peccato facta est

Vel ad peccatum inclinans

Idem docet lib. 1. Retract. c. 15. ibi: Sed hoc peccatum, de quo sic est locutus Apostolus, ideo peccatum vocatur, quia peccato factum est, & pena peccati est: quandoquidem hoc de concupiscentia carnis dicitur.

Contrariam doctrinam damnat Trident. supra dicens: Hanc concupiscentiam, quam aliquando Apostolus peccatum appellat, sancta Synodus declarat Ecclesiam Catholicam nunquam intellexisse peccatum appellari, quod verè & propriè in renatis peccatum sit, sed quia ex peccato est, & ad peccatum inclinat. Si quis autem contrarium senserit, anathema sit.

Ut expressè docet Trident.

Dices: Si concupiscentia est pœna peccati, & hæc manet in renatis; ergo Baptismus non remittit omnem pœnam, quæ pro culpa debetur; quod opponitur secundæ parti conclusionis.

8

Respondeo distinguendo consequens: non remittit omnem pœnam propriè dictam, id est, quæ ita ab extrinseco homini à divina iustitia pro peccato infligitur, ut nullum in natura habeat fundamentum; v. g. tormenta inferni, purgatorij, & similia; nego consequentiam: non auferit pœnalitates hujus vitæ, cujusmodi sunt passibilitas corporis, ægritudo, dolor, fames, sitis, mors, fomes concupiscentiæ, & similia, quæ ex natura ipsa oriuntur, & essent in homine condito in statu puræ naturæ quantum ad substantiam & imperfectiorem suam, concedo totum.

Remittitur nihilominus per Baptismum omnis pœna propriè dicta,

Non pœnalitates.

Sed de his non loquitur Conclusio: certò enim constat hominem baptizatum illis miserijs esse subiectum; quas & ipse Christus voluntariè in se suscepit (fomitem concupiscentiæ excipio; quia ad peccatum inclinat) & in Matre sua (quam tamen præservavit à peccato originali) reliquit ad meritum.

De quibus non loquitur conclusio.

D. Christo sic inquit D. August. lib. 4. contra duas epistolas Pelag. c. 4. Quod (pati mortem sine meritis mortis) de uno solo mediatore Dei & hominum homine Christo Iesu Catholica fides novit, qui pro nobis mortem

s. August.

hoc

Quibus se opponit D. August.

Notumque objectioni.

Admittens eam Trident. concupiscentiam in renatis,

7. Rom. 8. s. August.

hoc est; peccati panam sine peccato subire dignatus est.

Quomodo ergo Virgo immaculatè concepta? Respondeo: quia non pro nobis passa est mortem, quemadmodum Filius ejus; & meritum proculdubio mortis habuisset, nisi Filius suus eam præservalset. Potest autem mediator (utor verbis Scoti Subtilissimi propugnatoris immaculatæ Conceptionis 3. dist. 3. q. 1. n. 8.) reconciliare aliquem, ut auferantur ab eo pœnæ sibi iniuræ, & relinquatur in pœnis sibi utilibus: originalis culpa non fuisse utilis Mariæ; pœnæ temporales tamen fuerunt utiles, quia in eis meruit.

Hoc non obest immaculatæ V. M. conceptionis Sciat.

Quia pœnæ temporales fuerunt illi utiles,

9.

At quomodo pœnæ, si sunt defectus naturales? Respondeo: quia subventum illis erat per justitiam originalem, & in homine lapsio revixerunt, amissâ per peccatum justitiâ originali.

S. August.

Quæ verè nomine pœnæ intulati possunt,

De concupiscentia ita D. August. lib. 14. de Civit. c. 12. Hoc itaque de uno cibi genere non edendo, ubi aliorum tanta copia subiacet, tam leve præceptum ad observandum, tam breve ad memoriâ retinendum, ubi præsertim nondam voluntati cupiditas resistebat, quod de pœna transgressionis postea subsécutum est &c.

Et ibidem cap. 19. Ha igitur partes (ira & libido) in paradiso ante peccatum vitiose non erant. Non enim contra rectam voluntatem ad aliquid movebantur &c. Vnde quòd nunc ita moventur &c. non est utique sanctas ex natura, sed languor ex culpa. Non quòd in natura sana seclusâ justitiâ originali minime fuissent; sed quia & tunc non sanitas, sed languor, sive defectus naturæ extitissent.

Post peccatum primi parentis: Genes. 3.

S. August.

Et sanè, unde tanta erubescencia primorum parentum Gen. 3. v. 7. Cumq; cognovissent se esse nudos, consuerunt folia ficus & fecerunt sibi perizoniam? Unde nisi ex peccato? Ego vero (inquit August. lib. 5. contra Julian. c. 2.) non à piktore inanimi figurarum, sed à scriptore animarum litterarum didici, quòd illi primi homines nudi erant, & non confundebantur; in quibus absit, ut tanta innocentia tam impudens esset: sed nondum inerat, quòd puderet. Peccaverunt, attenderunt, erubuerunt, operuerunt &c.

10.

Quibus annumeratur mors corporalis ab August.

De morte corporis quid dicam? Loquor cum D. August. lib. 6. de Gen. ad litt. c. 22. Fatendum est, primos quidem homines ita fuisse institutos, ut si non peccassent, nullum mortis experirentur genus: sed eosdem primos peccatores ita fuisse morte multatos, ut etiam quidquid eorum sinpe esset exortum, eadè pœnâ teneretur obnoxium.

Idem pluribus alijs locis enuntiat, & ge-

neraliter de quibuscumque miserijs hujus vitæ ait lib. de Natura boni c. 7. Creaturis præstantissimis, hoc est, rationabilibus spiritibus hoc præstitit Deus, ut, si noluit, corrupti non possint, id est, si obedientiam conservaverim sub Domino Deo suo, ac sic incorruptibili pulchritudini eius inbaserint: si autem obedientiam conservare noluerint, quoniam volentes corrumpantur in peccatis, nolentes corrumpantur in pœnis, sive propriè dictis, ut apostata Angeli, & qui impenitentes ex hac vita decedunt, aut certè penalitatibus, quas quotidie experimur magno nostro malo, utinam non aeterno! imò certè aeterno, ni gratia Salvatoris nostri Jesu Christi nos adjuvet.

Quippe hoc Deo propitiante (verba sunt Concil. Arauf. c. 25.) & predicare debemus & credere, quòd per peccatum primi hominis ita moliatum & attenuatum fuerit liberum arbitrium, ut nullus possit aut diligere Deum, sicut oportuit, aut credere in Deum, aut operari propter Deum, quòd bonum est, post, nisi gratia eum & misericordia divina praverent.

Nam unde sunt illæ voces? interrogat D. August. lib. 3. de lib. arbit. c. 18. Non enim quòd volo bonum, hoc facio: sed quòd nolo malum, hoc ago. Et illud: Velle adiacet mihi, persicere autem bonum non invenio. Et illud: Caro concupiscit adversus spiritum; spiritus autem adversus carnem: hæc enim invicem adversantur, ut non ea que vultis, faciat. Respondet autem: Sed hæc omnia hominum sunt ex illa mortis damnatione venientia.

Propter hoc exclamat Apostolus Rom. 7. v. 24. Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Gratia (inquit) Dei per Jesum Christum Dominum nostrum. Hanc à Deo petamus, qui dat omnibus affluentem: Vtique his omnibus, qui sic petunt, ait August. lib. de natura & gratta cap. 17. & tantum petunt, quomodo & quantum res tanta petenda est.

Humiliemus illi animas nostras, si fortè recogitet de nobis, & non pereamus. Si quidem in hoc mundo sic cavenda est elatio (clamat August. lib. de corrept. & grat. c. 13.) ut etiam per satana Angelum ne extolleretur, tantis colaphis areretur Apostolus. Propter quod, cum ter Dominum rogasset, ut discederet ab eo, responsum accepit 2. Corinth. 12. v. 9. Sufficit tibi gratia mea: nam virtus in infirmitate, patienter tolerata, perficitur.

Igitur per pœnam in secunda parte conclusionis accipienda venit propriè dicta, idque à Deo infligenda in futuro sæculo pro peccatis præteritis ad satisfaciendum justitiæ vindictivæ. Enimvero in foro civili posset Princeps homicidam, aut furem morte

Et omnes miseris in sua vita.

Et ubi caro et spiritus libere adhibentur.

Non enim.

Propter que concupiscit.

ait August.

Per satana Angelum.

2. Cor. 12.

Sed de gentilibus.

11.

morte punire ob homicidium, aut fur-
tum commissum ante Baptismum (uti
etiam penas infligere pro peccato com-
missio post Baptismum, quamquam dele-
tum esset integrè coram Deo per pœniten-
tiam) pium tamen erit ut pœnam non exi-
gat, sed omnia in Baptismo sepulta relin-
quat, nisi bonum commune aliud pœ-
stulet.

Princeps
piè non exi-
git pœnam
pro peccatis
ante Baptis-
mum com-
missis,

Quidni & Deus, justè posset infligere
pœnas in hac vita pro peccatis in Baptismo
remissis? Equidem peccatum meretur pœ-
nam hujus, & alterius vite; Unde læ-
pissime legitur Deus peccatores puni-
visse & morte corporali sive temporali, &
aeternâ.

12. Porro verba Florentini, & Tridentini
in principio conclusionis citata, omnino ver-
rificantur de reatu pœnæ temporalis, ex-
solvendæ in futuro sæculo in purgatorio;
siquidem illâ pœnâ remissâ, baptizatus
moriens antequàm culpam aliquam com-
mittat; statim ad regnum cœlorum, & Dei
visionem perveniet, esto posset à Deo puni-
ri pœnâ temporali in hoc sæculo, quem-
admodùm potest puniri à iudice sæculari.

Possit ta-
men et si fo-
rent remis-
sa.
Rom. 13.

Herculè Princeps, secundùm Apostolum
Rôm. 13. v. 4. *Dei minister est: vindex in
iram ei, qui malè agit.* Si ergo ministro licet
vindicare peccatum per Baptismum remis-
sum quoad pœnam, & culpam; quantò
magis Deo, qui talem potestatem dedit
hominibus? *Non est discipulus super magistrum,
nec servus super Dominum suum.* Matth. 10.
vers. 24.

Matth. 10.

13. Baptizato
non injun-
gitur satisf-
factio

Sed dices; quorsum igitur prohibet
Concil. Florentinum, ne pro peccatis præ-
teritis injungatur Baptizato satisfactio?
Nonne Deus vidit opera Ninivitarum,
quia conversi sunt de via sua mala, & mi-
seratus est super malitiam, quam locutus fue-
rat ut faceret eis, & non fecit?

Ad delen-
dam pœ-
nam in pur-
gatorio sol-
vendam.

Respondeo; quia loquitur de satisfac-
tione sine operibus satisfactorijs à Sacer-
dote injungendis pro peccatis quoad pœ-
nam temporalem post hanc vitam exsol-
vendam in purgatorio: Moveor, quia illa
sola ut si præced. insinuavi, post mortem
impedit visionem beatificam, ita ut fur,
vel homicida justè alioquin pro peccato
supplicio afficiendus, si tamen plenè ju-
stificatus; sive per Baptismum sive per
pœnitentiam, aut indulgentiam, mortem
obierit naturalem, mox in cœlum reci-
piatur.

14. Accedit, quòd peccata publica, quæ
vergunt in detrimentum & scandalum
communitatis, non recipiant privatam sa-
tisfactionem; sed semper liberum manet

judici humano infligere pœnam à lege con-
stitutam.

Sit itaque infidelis, qui malo suo exem-
plo corrumpit totam communitatem, bap-
tizetur, ni morte plectatur, periculum est,
nè alij spe impunitatis per Baptismum ob-
tinendâ, eisdem malefactis Rempublicam
conquassatam confringant; dormit iudex
humanus, dissimulans peccata propter pro-
prium commodum. Quis arguet Deum
injustitiæ; si talem baptizatum propter pec-
cata præterita, remissa tamen in suo iudicio
alterius sæculi quoad pœnam, & culpam
per Baptismum, puniat morte temporali
in hoc sæculo?

Et verò si Deus non fuisset plenè con-
versus & reversus à furore iræ suæ ad pœ-
nitentiam Ninivitarum, sed condonato
peccato, & pœnâ futuri sæculi, si, inquam,
pœnam præsentis sæculi, quam ultrâ pœ-
nas inferni commeriti erant, infixisset, an
propterea fuisset injustus?

Quod ergo quidam dicunt, non posse
baptizatos assumere opera satisfactoria pro
peccatis antè Baptismum admittis, quia
fieret injuria Sacramento, intelligendum
credo (salvo meliori iudicio, quia hanc
controverfiam non invenio decisam in ali-
quo Auctore) intelligendum; inquam,
credo de operibus satisfactorijs pro pœnis
purgatorii.

15.

Ceteroquin, sicuti baptizatus potest
supplicare pro venia peccatorum præterito-
rum in foro externo hujus sæculi & offerre
omnem satisfactionem possibilem, si fortè
iudex humanus ignoscat, & remittat pœ-
nam in illo foro commertam; cur similiter
nequeat Deum, & supremum iudicem, qui
misericors est, & præstabilis super malitia
hominum, suppliciter exorare, ut flagella
sua, quæ pro peccatis suis in hoc foro me-
retur, avertat, & ad istum finem jejunia,
orationes, & alia pia opera assumere?

Potest sata-
cipere bap-
tizatus
opera satis-
factoria
Ad delen-
dam pœnâ

Constat profectò Deum hujusmodi pijs
exercitijs homini solere reconciliari, & con-
donare pœnas, quas justè alioquin statuerat
in hoc sæculo infligere, & aliunde posset ali-
cui non videri omninò certum omnes illas
pœnas per Baptismum esse remissas. Haec
dixerim, non asseredo, sed tamquam exami-
nanda ac corrigenda peritioribus offerendo.

Alioquin
in hoc sæ-
culo inflig-
endas.

Indubitatam est conclusionem debere
intelligi de remissione peccatorum præ-
teritorum. Etenim quòd nondum est, ne-
quit jam remitti, neque merita Christi
applicentur pro debitis contrahendis, sed
pro jam contractis. Et ita definitum est
contra hæreticos in Concilio Tridentino
sessione 7. de Baptismo can. 10. ubi sic lego:

16.

Peccata
committē-
da non re-
mittuntur
per Baptis-
mum,
Tridom.

O o

Si quis

Si quis dixerit, peccata omnia, quae post Baptismum sunt sola recordatione, & fide suscepti Baptismi vel dimitti, vel venialia fieri; anathema sit.

Idem non obscure colligitur ex Concilio Florentino. Flor. supra ibi: Propterea baptizatis nulla pro peccatis praeteritis &c. Ergo pro futuris injungenda; ergo haec per Baptismum non remittuntur. Aliàs non fuisset opus instituire Sacramentum poenitentiae, faciliusque condonarentur peccata commissa post Baptismum, quam antè, contra doctrinam Apostoli ad Hebr. 6. vers. 4.

Impossibile est enim, eos, qui semel sunt illuminati, per Baptismum, gustaverunt etiam donum caeleste, & participes facti sunt spiritus sancti &c. & prolapsi sunt; rursus renovari ad poenitentiam. Immerito quoque Poenitentia vocaretur secunda post naufragium tabula, sed potiori ratione Baptismo seu recordationi ejus id foret appropriandum, ut patet consideranti.

17. Ex haecenus dictis summariè infero, Baptismum ex opere operato praeter characterem, causare gratiam sanctificantem, & specialia auxilia gratiae, remissionem peccati originalis, & omnium actualium mortalium, & venialium praeteritorum, nec non omnis poenae propriae dictae debita pro hujusmodi peccatis in altera vita.

Poenalitates hujus vitae non aufert, nisi fortè radicaliter, ita ut ejus virtute sint auferendae in alia vita, juxta illud Apostoli ad Roman. 6. vers. 4. & 5. Consepulchri enim sumus cum illo per Baptismum in mortem: ut quomodo Christus surrexit à mortuis per gloriam Patris, ita & nos in novitate vitae ambulemus. Si enim complantati facti sumus similitudini mortis ejus: simul & resurrectionis erimus. Ubi indicat Apostolus, quod sicut virtute Baptismi in praesenti vita morimur cum Christo, sic etiam suo tempore gloriosi sine ullis defectibus, uti Christus, resurgemus.

18. Concupiscentiam quoque (per quam intelligo non ipsum appetitum sensitivum, sed motus illius inordinatos, sive rebellionem appetitus adversus rectam rationem) relinquit ad agonem, & victoriam; non nihil tamen eam minuit, ut insinuat D. August. lib. 1. de nuptijs & concupiscentijs cap. 25. docens in proficientibus magis ac magis minui: verba ejus sunt: *Quamvis autem reatu suo iam soluto, manet tamen, concupiscentia, donec sanetur omnis infirmitas nostra, proficiente renovatione interioris hominis de die in diem, cum exterior induerit incorruptionem: non enim substantialiter manet sicut aliquod corpus,*

aut spiritus, sed affectio est quadam malae qualitatis, sicut languor. Et post pauca: *Qua tamen concupiscentia quotidie minuitur in proficientibus & continentibus, accedente autem senectute multo maxime.*

Augustinum sequitur Doctor Subtilis 4. distinct. 4. quaest. 7. num. 2. ibi: De secundo ergo est quaestio, & dicitur, quod plures effectus tales habet Baptismus; ordine tamen quodam: quia causare gratiam, & remittere formam, & hujusmodi. Patet autem quod non in omnibus baptizatis aequè remittitur fomes. Ergo in omnibus remittitur.

Num formaliter? Absit, sed causaliter; Quia, prosequitur Doctor, fomes cum sit in carne, vel in virtute aliqua corporali, per gratiam, quae est in anima, non potest formaliter dimitti: quia non est inter ipsum, & gratiam formalis repugnancia, cum non sit nata fieri circa idem. Sed dicitur fomes dimitti quantum ad effectum, quem consuevit causare in anima, scilicet peccatum: nam secundum quod gratia augetur, fomes minorem habet efficaciam inclinandi ad peccatum.

Explicat exemplo lapilli alligati alis aquilae: Quia, inquit, si cresceret virtus motiva aquilae, licet non diminueretur gravitas lapilli (quia opposita non sunt, nec in eodem) tamen gravitas lapilli diminuitur quantum ad effectum: quanto enim maior est virtus ut ala, tanto lapillus minus impedit ascensum, vel volatum.

Atque haec operatur unus Deus, una fides, unum atque idem Baptisma in omnibus; attamen legitime dispositis. De qua dispositione egimus disp. praeced. conclus. 1. & 2. Addeam solùm, quod ibi conclus. 1. ad hunc locum remisi.

Quaerebatur autem an Trident. enumerans inter ceteras dispositiones ad justificationem, odium & detestationem peccati, hoc est, eam poenitentiam, quam ante Baptismum agi oportet; deberet intelligi etiam de solo peccato originali? Clarius; sub Judice lis est, an adultus solo originali infectus, debeat formaliter de illo poenitere, ut fructuosè suscipiat hoc Sacramentum? Pro decisione hujus litis deserviet

CONCLUSIO II.

Homini adulto accedenti ad Baptismum sine peccato mortali actuali cum solo originali, non est necessaria poenitentia

Florent.

Ne foret inutilis poenitentiae institutio,

Hebr. 6.

Et ne frustra vocetur secunda post naufragium tabula.

17.

Effectus Baptismi recenentur;

Inter quos improprie memorantur poenitentiae hujus vitae; Rom. 6.

18.

Nullatenus rebellionis appetitus sensitivi ablatio,

S. August.

Sed bene remissio,

Utrum
secundum

ad hoc
fides
quae
dispositio

tentia formalis, ut recipiat illius peccati remissionem; sed sufficit voluntaria susceptio Baptismi ex amore Dei super omnia, aut spe retributionis aeternae.

atritus per aliquod tempus usque ad certum instans, in ultimo instanti recipit gratiam delentem peccatum, tanquam per virtutem meriti de congruo.... sed non habens talem actum, qui sufficit ad meritum de congruo (iustificativum extra Sacramentum) sed tantum habens voluntatem suscipiendi Sacramentum Ecclesia, & sine obice peccati mortalis actualiter sibi factio, vel in voluntate inherens, recipit non ex merito, perfecta contritionis, sed ex pacto divino, effectum istius Sacramenti, ut sic parum attritus, etiam attritione, que non habet rationem meriti ad remissionem peccati extra Sacramentum, id est, attritione, sive contritione imperfecta, volens tamen recipere Sacramentum Penitentiae, sicut dispensatus in Ecclesia, & sine obice in voluntate peccati mortalis in actu, in ultimo instanti illius prolationis verborum; Ego te absolvo &c. in quo scilicet est vis Sacramenti istius, recipiat effectum Sacramenti, scilicet gratiam penitentialem. Non quidem ex merito, quia dispositio interior non erat sufficiens per modum meriti; sed ex pacto Dei absistentis Sacramento suo ad effectum illum, ad quem instituit Sacramentum; alioquin non apparet, quomodo Sacramentum Penitentiae esset secunda tabula, si nunquam per ipsum, ut Sacramentum est, posset recuperari secunda gratia amissa, sed tantum per attritionem tanquam per pravam dispositionem, & per contritionem, tanquam per dispositionem completivam. Hæc ille. Et amabo quid dici poterat expressius & luculentius?

Qui per attritionem quandoque intelligit contritionem perfectam,

19. In adulto cum solo originali accedente Scoti.

Sufficit voluntaria susceptio Baptismi ex amore Dei super omnia &c.

20. Adverto non paucos ex malo intellectu illorum verborum perperam imponere tam pio, & tam insigni Doctori, ut eum intulit noster Andreas Vega lib. 9. de iustificatione c. 15. falsissimam, & merito damnandam sententiam, ut ibidem loquitur idem Auctor, quæ docet sufficere ad consequendam gratiam per Sacramenta, non ponere eis obicem, id est, non actu peccare in eorum susceptione, & intendere ea juxta intentionem Ecclesiae suscipere.

Andreas Vega.

Non autem nuda non positio obicitis.

Quod falso attribuitur Scoto.

21.

Videtur doctrina Scoti 4. dist. 14. quæst. 4. n. 6. & 7. ibi: Sicut ergo adultus primam gratiam delentem originale potest habere duplici via: vel ex bono motu disponente ad illam de congruo, vel ex susceptione Baptismi: ita & in proposito (loquitur de Sacramento Penitentiae) Hoc declaratur sic, quia ad primam susceptionem gratiae (scilicet ex bono motu) requiritur aliquis motus meritorius de congruo: ad secundam non requiritur, nisi voluntaria susceptio Baptismi, & sine sitione, hoc est, cum intentione suscipiendi, quod confert Ecclesia, & sine actu, vel voluntate peccati mortalis; ita quod in primo requiritur aliquod opus intrinsecum, aliquo modo acceptum tanquam meritum de congruo: in secundo solum requiritur opus exterius, cum amotione interioris impedimenti. Verum, ut alibi adhuc notavi, aliqua videntur esse, & ideo adscribuntur Doctori Subtili, quæ bene expensa revera ipsius non sunt. Quod ut ostendam in loco statim citato

Adverto non paucos ex malo intellectu illorum verborum perperam imponere tam pio, & tam insigni Doctori, ut eum intulit noster Andreas Vega lib. 9. de iustificatione c. 15. falsissimam, & merito damnandam sententiam, ut ibidem loquitur idem Auctor, quæ docet sufficere ad consequendam gratiam per Sacramenta, non ponere eis obicem, id est, non actu peccare in eorum susceptione, & intendere ea juxta intentionem Ecclesiae suscipere.

Porrò longissimè illum fuisse ab hac opinione, seu potius errore; probat ibidem præcitatus Auctor ex multis ipsius locis, quæ alibi tractata sunt, & inferius adhuc adducentur, & explicabuntur. Nunc dumtaxat locum allegatum ex 4. dist. 14. quæst. 4. num. 6. expendemus. Et ut taceam, quod Doctor secundum aliquos solum loquatur de remissione peccati originalis per Baptismum, ad quam juxta nostram conclusionem, & probabilem multorum sententiam non requiritur formalis penitentia, certum mihi est, Scotum per attritionem, quam negat necessariam ad Sacramentum penitentiae, intelligere contritionem perfectam.

Accipe ejus verba n. 7. Non solum ergo

Quod si fortassis quispiam perfricta fronte audeat adhuc resistere, & pugnantius contendere Doctorem docuisse, Sacramentum Penitentiae iustificare sine prævio dolore de peccatis præteritis, legat quod habet eadem dist. & quæst. n. 9. in fine, ubi sic concludit: Concedo ergo, quod ante perceptionem dignam penitentiae oportet suscipiari, vel simpliciter, & tunc per penitentiam Sacramentum non deletur peccatum, sed gratia, qua insuit augetur: vel suscipiari secundum quid, scilicet ut habeat aliqualem dispositionem de peccatis, & propositum cavendi de cætero, & velut suscipere Sacramentum Penitentiae, in quo attritio sit contritio, & tunc suscipiatur simpliciter per Sacramentum.

22.

Et ad Sacramentum Penitentiae necessarium asserit aliquem dolorem,

Itaque tria requirit, ut recipiat quis gratiam per Sacramentum Penitentiae (idem est de Baptismo, si Baptizandus habeat mortalia actualia sive personalia, ut ostendi disp. præced. loco supra citato) videlicet voluntatem recipiendi Sacramentum, dispositionem aliquam de peccatis commissis, & non esse in aliquo mortali, actu vel voluntate. Et ista duo aliquando ab eo comprehenduntur uno verbo, videlicet

Et absentiam actus peccati, sive quod suscipiens actu non peccet.

Sine fictione, vel, Sine obice, neque immerito. Quippe qui non habet displicentiam de peccato, quod placuit, moraliter semper dicitur perseverare in ejus complacencia, atque in illo esse actu vel voluntate, & illud voluntati ipsius adhuc inhaerere.

Et communi more omnia, quibus impedimus effectum Sacramenti in nobis sive contrariè, sive contradictoriè, id est, vel actu peccando, vel intermittendo necessaria ad reverenter & fructuosè ea recipienda, uno nomine, *Obicis*, vel, *Fictionis*, solemus significare. Dicimus liquidem generaliter Sacramenta causare gratiam in non ponentibus obicem, vel in non fictè ea suscipientibus. Atque ita omnia, quibus impediuntur agentia naturalia à suis effectibus, verbo uno, *Obstaculi*, *Obicis*, vel, *Inpedimenti*, ut plurimum nuncupamus.

Quo circa quando Doctor supra docet sufficere opus exterius cum amotione interioris impediendi, non solum intelligit peccatum actuale, sed etiam habituale non sufficienter retractatum, de quo scilicet suscipiens nullo modo atteritur, vel conteritur.

Hæc pro defensione doctrinæ Subtilissimi Principis Theologorum, quæ à communi in nullo prorsus discrepat, quamvis aliquibus minus bene Doctore nostro affectis, & parum de doctrina ejus solertis, lippis aut caligantibus oculis Solem Theologicum inspicientibus, aliter videatur. Sed minime curandum eorum videri, ubi constat de re.

Nolo igitur adducere Doctorem nostrum pro hac conclusione, ne in numero talium (quod absit) inveniamur. Nihil quippe certius est, quam ipsum hoc loco non tractare præsentem controversiam. Meminit quidem solius originalis, sed hoc propterea, quia Baptismus per se institutus est ad ipsius remissionem, quemadmodum Pœnitentia ad deletionem peccatorum personalium.

Argumentatur autem à Baptismo ad Pœnitentiam, ostendens, quod sicuti originale deleri potest duplici viâ, vel per solam contritionem ante realem susceptionem Baptismi, vel per Sacramentum cum attritione, seu alia necessaria dispositione, quæ per se non sufficiat ad remissionem sine Sacramento; ita etiam peccata personalia remitti posse vel per contritionem perfectam ante Sacramentum, vel per ipsum Sacramentum cum sola attritione sive contritione imperfecta.

Cæterum de casu nostro, qui metaphysicus est, ut bene notat Suarez hic disp. 28.

sect. 1. conclus. 2. quia moraliter & regulariter non accidit, ut homo adultus accedat cum solo originali sine aliquo personali mortali; de hoc, inquam, casu Scotus neque hic, neque alibi disputat.

Tenet autem Conclusionem nostram Suarez loco jam citato, dicens: Si contingeret hominem adultum accedere ad Baptismum sine peccato mortali cum solo originali, non esset ei necessaria pœnitentia aliqua, sed sufficeret voluntas ac propositum profitendi ac servandi legem Christi. Propositum, inquam, ut inferius explicat, obediendi Deo in omnibus, saltem spe retributionis, vel ob timorem pœnæ, vel denique propter intrinsecam honestatem præceptorum seu cuiuscumque virtutis.

Docet hic Auctor cum communiori sententia, dari actus supernaturales virtutum moralium: nos verò, quoniam cum Doctore Subtili eos negamus, hinc præter actum fidei si pernaturalem in intellectu, quem universi admittunt necessarium, insuper requirimus in voluntate actum virtutis Theologicæ, amoris scilicet, aut spei, nè sine ulla conversione supernaturali voluntatis nostræ ad Deum, ipse ad nos supernaturaliter convertatur per infusionem gratiæ supernaturalis & justificantis, cum tamen scriptum sit Zach. 1. v. 3. *Convertimini ad me, ait Dominus exercituum; & ego convertar ad vos, dicit Dominus exercituum.*

Interim quod non requiratur conversio in jejuniis, fletu, & plangtu, id est, pœnitentia formalis, est expressa, inquit Suarez supra, sententia D. Augusti. lib. de vera & falsa pœnitentia cap. 8. ibi: *Pœnitentia enim Baptizandis non est necessaria, sed baptizatis de maioribus & minoribus peccata pœnitendum est.*

Sed hic liber communi calculo ab ejus operibus rejicitur. Quidni rejiciatur? Citatur quippe sententiam D. Aug. cap. 17. & ab ea dissentit. Id si non esset, inquit censura illi operi præfixa in impressione Parisiensi, tamen tot undique sunt argumenta, quæ clamitant hoc opus non esse Augusti. ut abundè sit admonuisse Lectorem.

Hæc ergo admonitione præmissa, quisquis Auctor sit, cum totus serè hic liber, ut notat censura citata, transcriptus sit in decreta, & sententias, non immeritò in hac sententia fundatur conclusio, de qua pauci Auctores ex professo egerunt.

Cæterum sententia illa, si solitariè consideretur, plus justo probare videtur. Hinc adjunge sequentem ejusdem capituli: *Sine pœnitentia, inquit, nulli profuit Baptismus, qui peccavit spontaneus.* Ne igitur Auctor ille in eodem

Quod est sine fictione Sacramentum suscipere,

23. Quod non bene in Scoto quidam videntur,

Duplex via delendi peccatum

Tam originale,

Quam personale.

Sect. 3. De Effectu & neces. Baptis. Concl. 2. 293

eodem contextu sibi ipsi contrarius sit, intellige priora verba de Baptismo præcisè considerando id, ad quod per se & primariò est institutum, id est, peccatum originale; quòd enim cum illo conjuncta sint mortalia personalia, quæ simul tollantur, per accidens est. Atque in hoc sensu verè dicitur, Baptisum per se non prærequirere pœnitentiam.

Porrò hanc esse mentem istius Auctoris luculenter indicat ratio, quam attextit: *Per fidem enim Ecclesia, sola remittuntur peccata, quæ contraxit homo in origine, ut sicut à patre peccante damnationem accepit, ita per matris Ecclesie fidem consequatur remissionem. Sed qui per se peccavit, per dolorem proprium, & per fidem Ecclesie indulgentiam acquisivit.*

Et ratio est, quia pœnitentia formalis propriè est de peccatis ab ipso pœnitente commissis. Unde dicitur: *Pœnitet, & factio torquet ipse meo.*

Cui consonat Scotus 4. dist. 14. q. 1. n. 15. assignans quadruplicem definitionem vel descriptionem ejus, quod est pœnitere. Prima, inquit, est ista: *Pœnitere est vindicare peccatum à se commissum. Secunda descriptio est: Pœnitere est deservari vel odire peccatum à se commissum, vel displicentiam habere de hoc peccato à se commissio. Tertia descriptio: Pœnitere est penam inflictam pro peccato commissio gratanter acceptare. Quarta descriptio est: Pœnitere est penam sibi pro peccato suo inflictam patienter sustinere.*

Si dixeris; etiam originale est peccatum suum sive proprium, juxta Trident. sess. 5. in decreto de peccato originali § 3. ibi: *Si quis hoc Adæ peccatum, quod origi in unum est, & propagine non imitatione transfusum omnibus, inest unicuique proprium &c.*

Respondeo, proprium per inhærentiam, concedo; per efficientiam physicam propriæ voluntatis, nego: jam autem pœnitentia strictè accepta est efficax displicentia, & retractatio propriæ voluntatis, sive, ut loquitur Trident. sess. 14. c. 4. *Animi dolor ac deservatio de peccato commissio cum proposito non peccandi de cætero.*

Equidem fatentur omnes peccatum originale non esse objectum hujusmodi pœnitentiæ; quod enim alienâ voluntate contrahitur, non potest propriè retractari, nec potest efficaciter mihi displicere, quod in mea potestate non est, ut fiat, vel non fiat.

Dices; peccatum originale est vera offensa Dei, quam potest homo velle delere, & debet delere, vel per Sacramentum Baptisum, vel per votum ipsius. Quidni ergo

voluntariam in eo permanentiam possit, & debeat efficaciter retractare? Non dubito: verùm hæc permanentia non est tam peccatum originale, quàm personale, si mora fuerit culpabilis.

Aliàs voluntas Sacramenti est talis detestatio & retractatio, de qua nunc quaeritur, an sit necessariò verus actus pœnitentiæ elicitus, vel imperatus; an autem sufficiat, quòd procedat ex amore Dei, vel certè ipse veniæ supernaturali; quod puto probabilius; quamquàm enim circa originale posset dari aliquis actus pœnitentiæ, tamen non invenitur præceptus.

Quippe quòd attinet ad Trident. constit. illud agere de peccatore obnoxio peccatis actualibus; nam sess. 6. c. 6. ait: *Ac propterea moventur adversus peccata &c.* Atque in probationem adducit Scripturam Mar. 2. v. 5. & Matth. 9. v. 2. *Confide sibi remittuntur tibi peccata tua*; ubi certum est agi de peccatis actualibus.

Quod manifestius significat sess. 14. c. 1. ibi: *Fuit quidem pœnitentia universis hominibus, qui se mortali aliquo peccato inquinassent quovis tempore ad gratiam & iustitiam assequendam necessaria.* Nota, *Qui se mortali aliquo peccato inquinassent*; jam autem peccatum originale inquinamentum est propagatione in omne genus humanum per inobedientiam Adami transfusum.

Accedit, Trident. pœnitentiam, quam c. 4. ejusdem sess. asserit necessariam fuisse quovis tempore ad impetrandam veniam peccatorum, definire, ut supra vidimus; Animi dolorem ac detestationem de peccato commissio cum proposito de cætero non peccandi: quis autem nesciat nequam quàm dari propositum de cætero non peccandi originaliter?

Arguis; Trident. sess. 6. c. 6. post verba supra citata, addit: *Hoc est, per eam pœnitentiam, quam ante Baptisum agi oportet.* Respondeo, sic loqui, quia supponit, ut supra notavi, regulariter nullum adultum accedere ad Baptisum cum solo originali. Unde sequitur: *Denique dum proponunt suscipere Baptisum, inchoare novam vitam, & servare divina mandata.*

Eodem modo loquitur D. August. vel quisquis est Auctor lib. de pœnitentiæ medicina c. 2. *Omnis, inquit, qui iam voluntatis sue factus est arbiter, cum accedit ad Sacramenta solum nisi eum pœnitat vix a veteris, novam non potest inchoare.* Et addit: *Ab hac pœnitentia cum baptizantur, soli pœnitent immunes sunt; utique quia rarissimè, aut vix unquam adulti liberi sunt ab omni mortali actuali.*

Responso

Circa originale potest dari aliquis actus pœnitentiæ, tamen non invenitur præceptus

Et quòd Trident. agit de actualibus peccatis. Mar. 2. Matth. 9.

Trident.

28. Objectio ex Trident. Responso

Explicatas lententia D. Aug. de adultis obnoxio peccatis actualibus.

Quòd autem de illis solis intelligat suam sententiam patet; quia postquam ex Scriptura probasset peccatum originale parvulorum, pro adultis peccatoribus adducit verba Apostoli Petri Act. 2. v. 38. *Pœnitentiam agite, & baptizetur unusquisque vestrum in nomine Iesu Christi &c.* Item verba Christi Matth. 4. v. 17. *Pœnitentiam agite, appropinquavit enim regnum celorum.* Et Joannis Bap. Matth. 3. v. 7. & 8. *Progenies viperarum, quis demonstravit vobis fugere à ventura ira? Facite ergo fructum dignum pœnitentiæ.* Nil autem clariùs, quàm in his Scripturis agi de adultis obnoxijis peccatis mortalibus.

De iisdem etiam accipe, quod docet D. Fulgentius de fide ad Petrum cap. 30. *Firmissime tene, & nullatenus dubites, exceptis illis qui pro nomine Christi suo sanguine baptizantur, nullum hominem accepturum vitam æternam, qui non sic à malis suis (nota ly suis) fuerit per pœnitentiam fidemq, conversus, & per sacramentum fidei, & pœnitentiæ, id est, per Baptismum liberatus. Et maioribus quidem necessarium esse & pœnitentiam de malis suis agere, & fidem Catholicam secundum regulam veritatis tenere, & sacramentum Baptismatis accipere: parvulis verò, qui nec propriâ voluntate credere, nec pœnitentiam pro peccato, quod originaliter trahunt agere possunt, sacramentum fidei, quod est sanctum Baptisma, quamdiu rationis ætas eorum capax esse non potest, sufficere ad salutem. Puta, quia tamdiu incapaces sunt peccati actualis sive personalis, pro quo solo necessaria est pœnitentia formalis, & strictè dicta, ut qui se per propriam voluntatem à Deo avertit, etiam per propriam voluntatem ad Deum convertat, efficaciter sibi displicendo in peccato commisso cum proposito de cætero non peccandi, & Deo satisfaciendi.*

Atque hinc itidem fit, ut quamvis adultus peccator personalis, per se non justificetur extra sacramentum, nisi per formalem contritionem; tamen debitor solius culpæ originalis ad summum indigeat amore Dei super omnia.

Quando ergo D. August. lib. de Correp. & gratia cap. 6. ait: *Corripitur origo damnabilis, ut ex dolore correptionis voluntas regenerationis oriatur, solum vult peccatum originale non posse homini placere, imò debere displicere, scilicet ineffaciter, quia vera offensa Dei, aliena quidem, quia à parentibus trahitur; nostra autem, quia in Adamo omnes peccavimus; imò & efficaciter propter peccata actualia ex eo secuta, hoc est, ipsa peccata actualia ex corruptione naturæ procedentia; quorum ante*

Baptismum requiritur ad minus attritio supernaturalis, de qua in materia de pœnitentia, ubi ostendemus illam sufficere ad justificationem in Sacramento Pœnitentiæ, ergo etiam in hoc Sacramento, quod non est minoris efficaciz ad remittenda peccata ante Baptismum commissa, quàm illud ad delenda crimina hominis post Baptismum lapsi.

Hactenus de controversia magis speculativa quàm practica, in qua utraque pars non est improbabilis; hanc autem elegimus, quia nolumus obligationes multiplicare absque evidenti ratione, vel auctoritate, qualis ab Adversarijs non adfertur; & quia aliunde apparet eum, qui propria voluntate non fuit à Deo averfus satis superque per amorem, aut spem supernaturalem ad eum converti, ut efficiatur verus ac proprius amicus Dei; secus qui propria voluntate non solum moraliter, sed physice prætergressus est obedientiam sui creatoris; quippe illius inobedienciæ quantumcumque levissimæ, requiritur debita retractatio, ut baptizandus ejus accipiat remissionem.

Profectò quando culpa mortalis non est satis retractata, perspicue manifestum est, ex dictis disputatione præcedenti, gratiam non conferri, donec & usque accedente debita dispositione Baptismus reviviscat, de qua reviviscencia egimus longè & latè sect. 6. præced. disp. videantur ibi dicta.

Si verò culpa mortalis retractetur, nullatenus autem venialis; multum verisimile est cum infusione gratiæ non remitti hanc culpam, quemadmodum non remittitur illa, ad quam baptizandus actualem affectum retinet; neque enim gratia repugnat peccato veniali, neque congruit, ut qui sponte recessit à Deo, illius recessus obtineat veniam, nisi etiam spontaneè accedat ad Deum, saltem per actum aliquem meritorium in illum finem relatum; etenim non æqualis retractatio requiritur ad remissionem utriusque peccati, mortalis scilicet, & venialis, ut patebit proprio loco. Debet itaque omnem culpam commissam aliquo modo retractare.

Quid si non fecerit? Respondeo faciat in hac vita, & accipiet plenam remissionem, etiam cum infusione novæ gratiæ sanctificantis, non quidem ex opere operato, supposito quòd eam acceperit in prima collatione Baptismi; sed ex opere operantis; quis enim ambigat, retractationem hujusmodi tanquam opus bonum hominis iusti mereri de condigno gratiam, & gloriam?

Certè valde probabiliter remissionem peccati

29.
Uti etiam
sententia
D. Fulgen-
tij.

30.
Explicatur
alius locus
S. August.

Remissio- nem pecca- torum con- comiturur gratia de novo intu- sa

peccatorum in hac vita semper concomita- tur gratia de novo infusa sive prima, sive ejus augmentum; etenim existens in pecca- to mortali, cum perseveret inimicus Dei indignus est reconciliatione, etiam pro levi injuria. Dixi, *concomiturur*; quia nulla est formalis repugnancia, inter gratiam, & peccata venialia.

In hac vita, non sic in altera

Dixi etiam, *in hac vita*, nam morienti cum venialibus, dimittuntur isthæc in altera vita absque infusione novæ gratiæ; sed hoc per accidens defectu statûs viatoris, qui solus aptus est infusioni gratiæ, sive in Sa- cramento, sive extra Sacramentum. De Sacramento patet: quia illud pro solis via- toribus institutum est, ut disp. præced. sect. 8. in principio ostendimus.

Defectu meriti con- grui vel condigni. sequitur.

De gratia extra Sacramentum probatur; quia debere accipi ex merito congruo, vel condigno; porrò, ut loquitur Doctor Subtilis 4. dist. 21. q. 1. n. 10. *Motum aliquem bonum, per quem, tanquam per dispo- sitionem, vel meritum de congruo, vel condigno deletur veniale, ponere in anima post mortem, non videtur doctrine Theologica consonum, qua ponit statum illum ab istis immutem.*

34. Remittitur post hanc vitam po- na temporalis vi gra- tie baptis- matis; Dicastillo.

Sed numquid moriens cum peccato ven- niali non retractato, vi gratiæ baptismalis post hanc vitam recipit remissionem penæ temporalis, quæ pro culpa illa debetur? Partem affirmativam esse communem fide- lium sensum post Lugonem docet Dica- stillo disp. 2. dub. 15. n. 173. ductus exem- plo Martyris, qui moritur in affectu actuali peccati venialis, juxta illud D. August. *Iniuriam facit Martyri, qui orat pro Martyre*: & nos supra docuimus disp. 1. sect. 6. con- clus. 2.

De quo du- bitat novus auctor,

Interim dum hæc scribo invenio quem- dam novum Auctorem valde dubitantem, propterea, ut ait, quòd Concilia, & Pon- tifices solum adscribant tantam efficaciam Baptismo, & Martyrio, suppositâ suffi- cienti dispositione, & videantur loqui de reviviscencia præsentis vita durante; quòd autem etiam in futura vita post mortem habeant, Unde constat?

Es quòd Baptismi efficacia sit in dispo- sitione fin- dita,

In Martyre autem jam morituro non est nata abesse sufficiens dispositio ad remis- sionem omnis culpæ, idque meritò præ- sumunt fideles. Attamen rogati de casu proposito, credo potiùs sensuros esse con- trarium. Et planè nescio, quid Dicastil- lo de Baptismo statuat sensum esse commu- nem fidelium; quod ipse docet; cum cas- sus iste non sit moralis, de quo fideles in specie cogitent, minus sensum seu judi- cium ferant. Hucusque ille Auctor. Cujus utique discursus placet, nisi quòd omninò

Que præ- sumitur in martyre jam mori- turo.

gratis supponat, fideles potiùs sensuros contrarium si interrogarentur.

gratis supponat, fideles potiùs sensuros contrarium si interrogarentur.

35. Quis enim hoc ei revelavit? Quippe cum resolutio pendeat ex voluntate Christi, qui Sacramenta instituit, & effectus ipsis adnexuit: probabilius quoque sit Bap- tismum in hac vita reviviscere ad dele- tionem peccatorum venialium, & penam purgatorij ipsis correspondentium, quidni fideles auditis hinc inde rationibus potiùs judicent Sacramentum reviviscere, etiam in altera vita?

Equidem Concilia, & Pontifices gene- raliter pronuntiant; Baptismum conferre integram & plenam remissionem omnium peccatorum quoad culpam, & penam om- nibus non ponentibus obicem, nec ullibi distinguunt inter præsens sæculum, & fu- turum. Cur ergo oculus noster nequam sit, ubi Dominus bonus est? aut non licet Domino quod vult facere?

36. Fateor non omninò certò nobis constare de hujusmodi voluntate. Et quid mi- rum, cum neque voluntas reviviscenciæ in hac vita sit prosùs indubitata? Verumtam- en satis probabiliter una ex alia colligi- tur.

Enimverò quòd Sacramentum revivis- cat in præsentis sæculo, ratio est; quia Sa- cramentum mox ut validè recipitur, tribuit jus ad suum effectum pro instanti, vel tem- pore legitime dispositionis; atqui per mor- tem hominis non tollitur illud jus, & post mortem advenit dispositio, sive auferatur obex; ergo etiam post mortem conferet Baptismus suum effectum.

Minor quoad primam partem probatur, quia non reperitur, gratia sacramentalis li- mitata ad præsens sæculum, sed certò cer- tius permanet in æternum, in quantum videlicet identificatur gratiæ justificanti; quòd addo propter auxilia actualia, quo- niam in patria non sunt necessaria, visione, & fruitione beatificæ eorum supplente de- fectum. Quin imò multorum probabilis est opinio, gratiam deperditam per pecca- tum, in justificatione non semper actu to- tam recuperari, neque per actum quem- cumque meritorium in præsentis vita sem- per conferri augmentum gratiæ, sed per actum dumtaxat intensiorem gratiæ præ- habitâ, & secundum præsentem subjecti dispositionem.

37. In quam sententiam non parùm inclina- tur Doctor noster 4. dist. 21. q. 1. n. 9. ibi: *Istud est probabile in alijs; quia cum quodcum- que meritum, mereatur (ut credo) augmentum gratiæ, quia aliquem determinatum gradum gloriæ, ad quem requiritur ut dispositio prævia aliquis*

An revivis- car Baptis- mus in alte- ra vita

Probabili- ter tamen defenditur

Quia per- mortem ho- minis non tollitur jus acquirentia per Baptis- mum

Non quia gratia sa- cramentalis est pro præ- sentis sæcu- lo

Maximè cum gratia deperditâ non tota semper re- cuperetur

37. Scotus. Nec per quemcum- que actum meritorium semper au- geatur

aliquis gradus gratie, & non semper Deus post quemcumque actum meritorium, auget gratiam proportionatam merito, videtur quod augmentum debitum meritis remisit reservet usque ad instans mortis.

Ex quo ibidem n. 10. infert ut probabile, venialia in hac vita non remissa pro illo instanti deleri in premium gratie five meritorum vite. Hæc sunt ejus verba: Et eodem modo de ista deletione venialium, quæ est quoddam premium non principale istorum meritorum, sicut & augmentum charitatis in tali vel tali gradu. Et hoc est rationabile, quia in illo instanti iste primò sit in statu alio, & premium meritorum reddi eis impeditur status viatoris, vel aliquid concomitans statum huiusmodi.

Et eadem quæst. n. 8. sic inquit: Opera istius, qui moritur in charitate, etsi post mortem non referantur ab ipso ad veniale, in quo moritur, dimittendum: nec etiam ipse habeat aliquid actum novum meritorium, per quem deletur veniale; tamen opera prius facta possunt esse à Deo relata ad remissionem istius venialis post mortem. Et hoc isto modo; quia causa impeditibilis, dum est impedita, non ponit effectum, dum verò non est impedita, ponit; sed merita istius morientis in charitate, essent causa sufficiens deletionis venialium istius, vel relata ab ipso, vel à Deo acceptante illa in ordine ad istud: sunt autem impedita dum iste vivit, si semper acta manet in peccato veniali: post mortem verò non sunt impedita, quia tunc non contrahit actum peccati venialis: igitur per illa delebuntur venialia post hanc vitam.

Eodem modo loquitur de revivificatione meritorum 4. dist. 22. q. 1. num. 10. ibi: Per hoc dico ad argumentum, quod resurgens plura merita habet in acceptatione Dei, quam habuit quando cecidit, & per consequens ad maiorem gloriam ex parte ordinatur; sed non oportet eum in maiori gratia resurgere, quia secundum eius dispositionem in detestando peccatum commissum intensè, vel remisè datur sibi nunc maior, vel minor gratia; totam absque dubio in altera vita recepturus.

38. Ex his sic argumentor: probabile est merita huius vitæ delere peccata venialia post hanc vitam: probabile est merita, & Sacramenta mortificata in via, reviviscere ad totam gratiam deperditam, saltem in patria: ergo non minus probabile est Sacramentum Baptismi, etiam in altera vita reviviscere, seu primò conferre remissionem venialium, & totius penæ debitæ, obice seu impedimento huius vitæ sublato; remissionem quidem venialium accedente eorum retractatione, remissionem verò totius penæ debitæ suppositâ totius culpæ deletionem; quippè non retractatio obex

erat deletionis culpæ; non deletio autem impedimentum remissionis penæ.

Hactenus de effectu, venio ad necessitatem de qua plura dicenda occurrunt, que tamen brevitatibus gratiæ paucis conclusionibus conabimur explicare. Sit itaque

CONCLUSIO III.

Sine Baptismo, aut ejus voto post Euangelium promulgatum nulli umquam contingit justificatio extra casum Martyrij.

Hoc est; Baptismus in re vel voto in nova lege est medium necessarium ad salutem. Ita definit Concil. Trident. sess. 6. cap. 4. sequentis tenoris: Quibus verbis justificationis impij descriptio insinuat, ut sit translatio ab eo statu, in quo homo nascitur filius primi Adæ, in statum gratiæ, & adoptionis filiorum Dei per secundum Adam Iesum Christum, salvatorem nostrum. Que quidem translatio post Euangelium promulgatum, sine lavacro regenerationis, aut eius voto, fieri non potest, sicut scriptum est: Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto non potest introire in regnum Dei. Et sess. 7. can. 5. de hoc Sacramento: Si quis dixerit Baptismum liberum esse, hoc est, non necessarium ad salutem; anathema sit.

Idem ante definiverat Florent. in decreto Unionis ibi: Et cum per primum hominem mors introierit in universos, nisi ex aqua & Spiritu sancto renascimur, non possumus (inquit Veritas) in regnum celorum introire.

Ratio itaque à priori est voluntas Christi, liquidò expressa Joannis 3. v. 5. verbis ab utroque Concilio citatis, quæ nihilominus tortuosus intellectus hereticorum variè detorquet, contra unanimes PP. consensus, ac verborum proprietatem.

Et primò quidem *ly Aquam* metaphoricè accipit pro mortificatione, ac si Scriptura diceret; Nisi quis mortificatus fuerit, non potest introire in regnum Dei. Sed quid opus est metaphora, ubi ex proprio & plano sensu nihil sequitur absurdum? Enim verò neque auctoritati divine, neque potentia repugnat, quòd aqua à Deo assumatur tamquam instrumentum necessarium ad salutem. Vide dicta disp. præced. sect. 4. conclus. 1.

Hinc Trid. supra can. 2. Si quis dixerit aquam veram & naturalem non esse de necessitate Baptismi; atque ideo verba illa Domini nostri Iesu

Sed referretur usque ad instans mortis.

Pro quo etiam delentur venialia;

Quam pro illo non sunt impedimenta deletionem retardantia.

Eodem modo loquendum de revivificatione meritorum censet Scotus;

Ex quibus inferitur Baptismum in altera vita reviviscere.

Secl. 3. De Effectu & neces. Baptis. Concl. 3. 297

Iesu Christi: Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto; ad metaphoram aliquam detorsit, anathema sit.

Accedit ex illa scriptura sic intellecta nequaquam probari Baptismum, cuius oppositum docent omnes heretici, qui Baptismum asserunt.

Denique de illa aqua loquitur ibi Christus, de qua Act. 8. Eunuchus ad Philippum ait v. 36. *Ecce aqua, quid prohibet me baptizari?* Quod, utique inepte de mortificatione intelligitur, ut patet ex contextu; verba enim immediatè præcedentia sunt hæc: *Et dum irent per viam (Philippus & Eunuchus) venerunt ad quamdam aquam.* Crede mortificationem secundum Aethiolicos. Quis non rideat tales metaphoricæ impudentias.

Secunda explicatio præ nimia detorsione per se satis corrumpit; ly *Aqua*, inquit, epithetum est Spiritus sancti hoc sensu: *Nisi quis renatus fuerit ex Spiritu sancto, qui per aquam designatur*; quemadmodum dicitur Matth. 3. v. 11. *Ipse vos baptizabit in Spiritu sancto & igne*, id est, Spiritu sancto, qui per ignem denotatur.

Sed interrogo primò, ubi in Scriptura legatur Spiritum sanctum apparuisse in specie aquæ, sicuti legitur Act. 2. v. 3. apparuisse in specie ignis? *Et apparuerunt*, inquit Scriptura, *illis dispersa lingua tanquam ignis, sedisque supra singulos eorum &c.*

Interrogo secundò. Nonne ignis symbolum est charitatis atque amoris, qui appropriatur Spiritui Sancto? *Veni sancte Spiritus, cantat Ecclesia in divino officio reple tuorum corda fidelium, & tui amoris in eis ignem accende.* Ignem, inquit, non aquam, magis certè idoneam ad ignem extinguendum, quam accendendum; juxta illud Eccli. 3. v. 33. *Ignem ardentem extinguit aqua.*

Non ignoro scriptum esse de Spiritu sancto Ioannis 7. v. 38. *flumina de ventre eius fluent aqua viva.* Verba sunt æternæ veritatis, quibus Euangelista pro explicatione subiicit: *Hoc autem dixit de spiritu, quem accepturi erant credentes in eum, scilicet in die Pentecostes per visibilem descensum Spiritus sancti in Apostolos, & per invisibilem gratiam, quam Spiritus sanctus partitur singulis in Sacramento Baptismatis & Confirmationis &c.* Non, inquam, ignoro Spiritum sanctum interdum aquæ comparari; quia instar aquæ mundat animam, abstergendo fordes peccatorum, sed nego propterea rectè dici ly *Aquam*, ubicūque adiungitur Spiritui sancto esse ejus epithetum, & non potius significare aquam veram & natura-

turem, ubi aliud contextus sacre Scripturæ non requirit.

Porro verba citata ex Joannis 3. non solum non exigunt ejusmodi metaphoricam expositionem, quin & hæc ipsis repugnat. Nam Primò, aqua præponitur Spiritui sancto; absurdum autem est prius poni declarationem, deinde id quod declarandum est. Neque negari potest; quin aqua, si accipitur pro Spiritu sancto, ponatur ad declarandum effectum Spiritus sancti, qui est mundare.

Secundò, sic aqua malè conjungeretur cum verbo *renascens*: aqua enim, si tantum inspicatur ejus significatio non gignit, sed lavat & refrigerat. Non ergo hoc loco aqua significat effectum Spiritus sancti, sed aquam veram & naturalem, ut concurrat sacramentaliter ad spiritualem regenerationem.

E contrario verò ly *igni* Matth. 3. (præterquam quòd aliqui per illud intelligant ignem externum, qui descendit visibiliter super Apostolos in die Pentecostes, vel ignem tribulationis, vel ignem purgatorij) postponitur Spiritui sancto, & non est inconueniens, post unum vocabulum poni alterum, quo prius declaratur: ut omitam, non obscurè determinari ad impropiam significationem per ly *Baptizabit*, quod videtur ex contextu litteraliter accipiendum pro vera externa corporis ablu-tione, qua Joannes baptizans utebatur, ut sensus sit: *Ego quidem vos baptizo in aqua corporaliter abluendo: Ipse vos baptizabit non tantum in aqua per ablu-tionem sordium corporalium, sed etiam in Spiritu sancto & igne*, id est, per gratiam Spiritus sancti, qui emundabit corda vestra ab omni peccato, juxta illud Ezech. 36 v. 25. *Et effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris.*

Profectò ignis verus & naturalis materia ineptissima est ad corpus abluendum; aptissima ad conburendum; porro aqua vera & naturalis convenientissima ad baptizandum seu lavandum, & consequenter ad significandam spiritualem regenerationem sive renascentiam.

Tertia detorsio hujus Scripturæ sit, ut conjunctio, *Et*, sumatur disiunctivè pro, *Vel*, hoc modo: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua vel Spiritu sancto.* Equidem *sape*, ait lex 53. ff. de verborum significatione, *ita comparatum est, ut coniuncta pro disiunctis accipiantur, & disiuncta pro coniunctis, interdum soluta pro separatis.* Nam cum dicitur apud veteres, Adgnatorum

Sibi contra dicentes dum hunc locum de baptismo exponunt.

41.

Multo minus aqua potest dici epithetum Spiritus sancti.

Matth. 3.

Qui non in specie aquæ

42.

Sed ignis legitur apparuisse;

Quòd ignis charitatis symbolum sit.

Eccli. 3.

42.

Interdum tamen aquæ comparatur Joan. 7.

Qui instat aquæ mundat animam,

Suo scilicet effectu;

Ad quem aqua hauriens sacramentaliter concurrat;

43.

Matth. 3.

Ipse vos baptizabit in aqua & igne;

Ezech. 36.

non sic ignis.

44.

gentiliumque, pro separatione accipitur.

Particula Et quandoque disjunctionem significat.

Confentio ita quandoque accipi posse particulam, Et, ut non conjunctionem, sed disjunctionem significet: alit unde constat Christum sic usurpasse in presenti Scriptura? Certè non nisi ex perverfa voluntate hæreticorum, qui malum dicunt bonum, & bonum malum, omnia quæcumque ignorant, aut potius ignorare volunt, blasphemantes, corrumperentes & in pravum sensum detorquentes.

Sanè numquid pravus sensus est, quempiam sine Spiritu cum sola aqua posse introire in regnum Dei? Et tamen hoc perspicuè sequitur ex hujusmodi depravato intellectu illius Scripturæ.

45. Petrus Martyr.

Dices cum Petro martyre in cap. 7. 1. ad Corint. Rom. 10. v. 10. dicitur: Corde creditur ad justitiam, & ore confessio fit ad salutem. Ubi habetur eadem copulativa particula, Et, & tamen non est ejusdem necessitatis, fides, & confessio oris.

Ordinariè conjunctio nem;

Respondeo primò, confessionem oris, & fidem cordis non referri ad eundem finem, seu effectum; hæc quippè necessaria est ad justitiam acquirendam; illa ad salutem non amittendam. Unde in vulgato textu non habetur *Et*, sed particula, *Autem*; at in Baptismo aqua, & Spiritus sanctus ad eandem regenerationem pertinent.

Respondeo secundò, neque Catholicos parem agnoscere necessitatem aquæ & Spiritus sancti in ordine ad justificationem & salutem simpliciter; sed dumtaxat ad justificationem acquirendam per Sacramentum Baptismi in re. Hinc conclusio nostra asserit sufficere Baptisma in voto; excipit quoque Martyrium, sic tamen ut semper maneat obligatio Baptismi realis possibilis.

Eslo inter conjuncta no sit æqua necessitas.

Dico, *Possibilis*; impossibile enim nulla est obligatio; obligatio, inquam, propriè dicta; quæ oritur ex lege vel præcepto propriè dicto; cæteroquin sæpe contingit quippiam esse medium necessarium ad aliquem effectum consequendum, etsi hîc & nunc sit impossibile. Sic v. g. contritio sive poenitentia est medium necessarium homini adulto peccatori ad accipiendam justitiam & salutem, etiam tunc quando est ipsi impossibile propter amentiam, vel ebrietatem; & in presenti, ut habet conclusio, Baptismus est medium necessarium; parvulus quidem in re, adultis in re vel voto extra casum Martyrij; non obstante ejus impossibilitate, proveniente ex defectu ministri, formæ, aut materiæ debite.

Baptismus est medium necessarium.

Nô obstat te ejus impossibilitate

Pro clariori intelligentia hætenus dictorum, & amplius dicendorum, præmitto primò quid sit necessitas mediij, quid præcepti. Omittis autem varijs sententijs, dico illud esse medium necessarium ad justificationem, quod positivè ad illam condicit, & per se in illam influit, usque adeo ut sine illo realiter habitò, justificatio secundum legem Dei ordinatam sit impossibilis. Illud autem necessarium necessitate præcepti, quod quidem per se non justificat, causando gratiam habitualem; requiritur tamen ad evitandum peccatum, per quod justitia præhabita deperderetur; ut proinde solum se habeat tanquam removens prohibens salutem tam primam, quàm secundam; id est, gratiam sanctificantem, & æternam beatitudinem.

Asserendum quippe est cum Concil. Trident. sess. 6. cap. 15. non modo infidelitate, per quam & ipsa fides amittitur, sed etiam quocumque alio mortali peccato, quantum non amittatur fides, acceptam justificationis gratiam demeritorie amitti, divina legis æquitate defendendo; quæ a regno Dei non solum infideles excludit, sed & fideles quoque fornicarios, adulteros, molles, masculorum concubinos, fures, avaros, ebriosos, maleficos, rapaces, ceterosque omnes, qui lethalia committunt peccata.

Itaque necessitas præcepti est necessitas per accidens, consistens videlicet in ablatione seu non positione impedimenti; porro necessitas mediij est necessitas per se; medium siquidem per se influit & confert aliquid ad salutem, & ille influxus talis est, ut sine illo non possit salus obtineri.

Ex quo plures aliæ oriuntur differentie inter has necessitates. Prima, quòd necessitas præcepti tantum habeat locum in actibus liberis & honestis, utpotè qui soli sunt materia legis & præcepti; necessitas verò mediij, etiam in alijs rebus; sic quippe habitus gratiæ & lumen gloriæ sunt media necessaria ad salutem.

Secunda, quòd necessitas præcepti, utri & ipsum præceptum, solos concernat adultos ratione utentes; mediij etiam reperitur in parvulis, & amentibus.

Tertia, præcipitur actus, & carentia, seu omissio actus; equidem non nisi actus positivus est medium necessarium; negatio quippe haudquaquam potest habere aliquem physicum influxum in salutem; neque de facto habet moralem, cum probabilius sit puram omissionem non esse meritariam.

Quarta

quarta.

Quarta quod necessitas præcepti excusetur per ignorantiam invincibilem; sed hæc necessitas mediæ; quamquam enim ignorantia possit supplere præceptum, sive excusare à peccato; minimè tamen supplet influxum & causalitatem mediæ necessitatis; etenim ex ignorantia, etiam invincibili, omittens v. g. Baptismum, non propterea ceteri debet baptizatus magis, quàm si omitteret scienter, excusatur tamen à novo peccato.

48. quid votum Baptismi

Præmitto Secundò, quid sit votum Baptismi, quod Trident. in principio conclusionis citatum docet sufficere ad justificationem, videlicet non quodlibet propositum suscipiendi hoc Sacramentum; potest enim peccator manens in actuali affectu peccati, huiusmodi elicere voluntatem: sed contritio charitate perfecta (aut certè amor supernaturalis Dei super omnia) quæ tamen sufficit antequam Sacramentum Baptismi, aut Pœnitentiæ actu suscipiatur (propter quod à Theologis vocatur Baptisma Flaminis) ipsam nihilominus reconciliationem ipsi contritioni sine Sacramenti voto quod in illa includitur, non esse adscribendam, docet Trident. sess. 14. c. 4.

est Dei amor super omnia sive formalis sive virtualis. quæ iustificat ante susceptionem Sacramenti

adeoque sufficit sacramenti votum impletum.

Nota, Quod in illa includitur; Ergo, inferunt plures Recentiores, sufficit propositum seu votum Sacramenti virtuale sive implicitum, hoc est, inclusum in perfecta contritione, quæ detestatur propter Deum summè bonum omnia peccata mortalia super omnia appetitivè alia mala; adeoque virtualiter proponit servare omnia mandata divina, quorum unum est susceptio Sacramenti.

49. à quo non dissentiant antiqui Theologi contra Hiquæum.

Neque ab hac sententia dissentiant antiqui Theologi, uti perperam putat Hiquæus in comment. Scoti ad dist. 17. n. 106. conclus. 1. quæ sic se habet: Ad remissionem peccati requiritur votum explicitum distinctum ab ipsa contritione. Hæc est nostri Doctoris hic n. 30. Dico, inquit, quod illa contritio habet propositum, seu promissionem confessionis secutura: & sic non deletur peccatum sine proposito suscipiendi. Eandem tenet Canus, supponit Ioannes de Medina, Durandus & Paludanus. Est etiam Divi Bonaventuræ, Alensis, Divi Thom. & Magistri. Probatur ex Augustino & Cassiodoro, super illud psalmi 31. Dixi confitebor adversum me iniquitatem meam domino, & tu remisisti impietatem peccati mei. Magna pietas Dei, ut ad solam promissionem peccata dimiserit: nondum pronuntiavit ore. Si autem Deum aut in corde, quia ipsum dicere quoddam pronuntiare est: votum enim pro opere reputatur &c. Prima hujus auctoritatis verba sunt

Scias,

Cassiodori, usque ad illud, dimiserit; reliquum est Augustini. Hactenus Hiquæus.

Sed ubi verba illa in Augustino legerit, nescio: hæc sunt genuina: Dixi. Quid dixisti non iam pronuntiat, sed promittit se pronuntiatum, & ille iam dimittit: Attēdite, fratres magnas res, dixi, pronuntiabo. Non dixi, pronuntiavi, & tu dimisisti. Dixi, pronuntiabo, & tu dimisisti: quia eo ipso quod dixit, pronuntiabo, ostendit quia nondum pronuntiaverat, sed corde pronuntiaverat. Hoc ipsum dicere, pronuntiabo, pronuntiare est; ideo & tu remisisti impietatem cordis mei. Quæ certè verba, si velimus intelligere prout sonant; convincunt Deum dimittere peccata ad solum propositum consistendi, quod constat esse fallum.

pro quo male allegatur D. Augustinus.

Si dixeris, propositum illud debet procedere ex contritione charitate perfecta. Respondeo; ergo non proposito sive promissioni adscribenda est justificatio, sive remissio peccatorum, sed magis ipsi contritioni; quæ in se includit talem promissionem, & ex qua regulariter provenit expressum, propositum de cætero non peccandi, adeoque observandi omnia mandata Dei: impossibile quippe videtur quempiam summè detestari omnia peccata mortalia propter Deum supra omnia dilectum, & advertenter omittere tale propositum; siquidem summè detestari nihil est aliud, quàm velle quodlibet malum potius sustinere, quàm in peccare.

detestatio summa non fit sine expresso proposito.

Si itaque occurrat intellectui huiusmodi peccitentis obligatio Baptismi aut confessionis, non dubium quin mox voluntas prorumpet in affectum externum illorum Sacramentorum. Qui affectus cum simili externa peccatorum detestatione ex amore Dei super omnia perspicuè palam est justificare ante realem susceptionem Sacramentorum; quamquam nonnulli voluerint contadecere propter aliquas sententias Divi Augustini malè intellectas, quas in progressu explicabimus.

si occurrat obligatio Baptismi aut Confessionis.

Et aliud nihil voluit Sanctus Doctor loco supra citato, uti etiam antiquiores Theologi magis solliciti de confessione, ejusque obligatione, quàm de distinctione voti virtualis, & formalis; etenim supposito voto virtuali, facillimè & communitur elicetur formale.

Cæteroque parum solida, imò profus infundata videri posset secunda conclusio Hiquæi supra n. 112. In casu ignorantia, quando est defectus instructionis, qui contingere potest, sufficit votum consusum Sacramenti, neque requiritur voluntas distincta. Hæc, inquit, conclusio videtur congrua divinæ

an sufficiat votum consusum, ut docet Hiquæus.

miseriordie, & infirmitati noſtræ, neque alioquin caſus eſt impoſſibilis, ſed qui frequenter accidere poteſt in ijs, qui minus inſtructi ſunt. Votum hoc explico per hoc, quòd habeat voluntatem adhibendi media neceſſaria, vel quæ ordinata ſunt in remediu peccati, quamvis in ſpecie tale eſſe ignoret. Ita ille.

Non aſſerunt Scho- laſtici.

Profectò neque Scotus, neque Divus Thomas, neque Divus Bonaventura, aut alij DD. quos citat pro prima ſua concluſione, illius conſuſi propoſiti meminerunt, ſed ſimpliciter requirunt propoſitum confi- tendi. Si ergo ipſi liceat ex conſideratione miſericordiæ divinæ, & noſtræ infirmitatis celebrare diſtinctionem voluntatis conſu- ſe, & diſtinctæ, ignotam antiquis Theolo- gis, & diſtinctæ, ignotam antiquis Theolo- gis, perperam reprehendit modernos, qui celebrant diſtinctionem voti formalis, & virtualis, eſſi ab antiquis parum cognitam.

Vasquez.

Equidem pro hac, teſte ipſo Hiquæo, citatur Richardus, & ſi credimus Valquio 3. parte q. 84. a. 5. dub. unico, eam docet Adrianus, Gabriel, Maior, &c. pro illa au- tem mirum ſi aliquis inveniretur, quem Hiquæus non adduxiſſet; adducit verò ne- minem.

diſtinctio voti forma- lis & virtua- lis inſtituitur miſericor- dia Dei;

Præterea diſtinctio voti formalis & vir- tualis, nonne & ipſa innititur miſericordiæ divinæ, & noſtræ infirmitati? Quis enim credat Deum, cujus miſericordia ſuper- exaltat iudicium, non miſereri eius, qui ex toto corde deteſtatur peccatum, ſi fortè ex tenuitate ſui intellectûs, qui pluribus inten- tus minor eſt ad ſingula, ſi fortè, inquam, non liceat explicitem propoſitum confi- tendi, quia voluntati non obijcitur obliga- tio conſtitendi?

52.

Dices; propoſitum conſuſum ſufficit ut verè remittatur peccatum in ordine ad cla- ves; ergo aliud non requiritur. Probatu conſequentia, quia aliàs facienti quod in ſe eſt ex fide & gratia, Deus deeſſet; hic au- tem aliud præſtare nequit ex impedimento, quamvis habeat bonam voluntatem, & per- ſectum dolorem. Ita Hiquæus ſupra, con- trarium innuens de propoſito noſtro vir- tuali, quando ejus inſufficienciam probat ex damnatione hujus propoſitionis Petri Oxo- menſis Doctõris Salmantini in Concilio Complutenſi: *Peccata mortalia quantum ad culpam, & pœnam alterius ſæculi delentur per ſolam contritionem cordis ſine ordine ad claves.*

& virtuale ſufficit ut remittatur peccatum in ordine ad Sacra- mentum.

Verùm reſpondeo, etiam votum virtu- ale planè ſufficere, ut peccatum remittatur in ordine ad Sacramentum ſive Baptiſmi, ſive Pœnitentiæ, cuius votum eſt. Oſtendo; quia peccatum remitti in ordine ad Sacra- mentum non eſt aliud, quàm poſt peccatum

remiſſum manere obligationem realiter ſu- ſcipiendi ſacramentum; quam obligationem negabat Petrus præſatus, nos autem cum Eccleſia Catholica aſſerimus. Ubi porò Eccleſia doceat ad juſtificationem extra Sacramentum ſufficere voluntatem conſu- ſam Sacramenti & requiri voluntatem for- malem haudquaquam reperio, & ideo non aſſero.

Enimvero quod attinet Concil. Tri- dentinum, ex quo Hiquæus clariuſ ſuo videri probat explicitem votum, ſic ait ſeſſ. 6. c. 14. *Vnde docendum eſt, Chriſtiani boni- nis pœnitentiam poſt lapſum multo aliam eſſe à baptiſmali; eaque contineri non modo ceſſatio- nem à peccatis, & eorum deteſtationem, aut con- tritionem & humiliatum, verum etiam eorum- dem ſacramentalem confeſſionem, ſaltem in voto, & ſuo tempore faciendam &c.* Ergo inſert ille, votum Sacramenti ſuſcipiendi eſt aliud à deteſtatione peccati, ſive contritione; & per conſequentem, requiritur votum ſilitem conſuſum, diſtinctum ab ipſa contritione.

Reſpondeo; ſi Concilium intelligendum ſit ad litteram, probat non ſufficere vol- untatem generalem adhibendi media ne- ceſſaria, ſed requiri voluntatem ſpecielem confeſſionis ſacramentalis, non ſolum ne- ceſſitate præcepti, à qua, ut vidimus ſupra, excuſat ignorantia, ſed neceſſitate mediij; quippè pari methodo loquitur de ipſa con- tritione, & voto Sacramenti; atqui illa eſt mediuj neceſſarium, quod non ſupplet ignorantia juxta doctrinam Catholicam; ergo etiam voluntas Sacramenti. Ergo in caſu ignorantie non ſufficit votum conſu- ſum contra Hiquæum.

Dices; formalis amor Dei ſuper omnia ſine formali pœnitentia, non obſtante hac doctrinâ Concil. Trident. probabilis juſti- ficat extra Sacramentum immemorem ſuorum peccatorum; ergo ſimiliter juſtifi- cabit voluntas generalis ſervandi omnia mandata, conjuncta contritioni, immemo- rem, vel ignorantem præceptum Sacra- menti.

Conſequentia probatur; quia ſicuti amor Dei ſuper omnia eſt virtualis contri- tio, ita voluntas generalis ſervandi om- nia mandata, virtualiter in ſe continet vo- luntatem ſpecielem ſervandi hoc præceptum particulare; virtute quippè volitionis uni- verſalis in memore præcepti particularis voluntas ſtatim elicit, vel nata eſt elicere ſingulare propoſitum adimplendi hoc ſpecte- ale præceptum ſuo tempore. Quis audeat negare?

Reſpondeo, qui audeat aſſerere Trident. intelligendum eſſe ſine gloſſa. Porò qui

cum eadem sit difficultas in proposito virtuali, quæ est in confuso: ejus commodam admittit interpretationem, sicut omnes admittere debent, non majorem reperiet difficultatem in proposito virtuali à contritione realiter indistincto, atque in voluntate confusa realiter distincta. Si igitur hæc sufficiat, cur non & illud?

55. Dices; quia Concil. requirit voluntatem Sacramenti realiter distinctam. Sed undè id constat? Etenim sess. 14. cap. 4 asserit votum Sacramenti in contritione includi; utique ut declaret, se in præcedentibus sess. per actus illos, quos videbatur requirere tamquam expressos & distinctos à contritione, non intellexisse realem distinctionem; sed solummodò virtutalem continentiam eorum in contritione charitate perfecta.

Undè non dixit Concilium, per illud votum contritionem perfici in ordine medijs justificativi, quasi ab illo accipiat vim justificandi; constat siquidem propositum Sacramenti solitariè spectatum nullam prorsus habere virtutem justificativam, quam non habent alia opera bona & meritoria.

Ipsa ergo contritio est, quæ sicuti ante institutionem Sacramenti ex Dei liberalitate tanquam meritum congruum infallibiliter justificabat sine voto, aut ordine ad aliquod Sacramentum; ita de factò post institutionem Sacramentorum ex eadem liberalitate justificat, cum ordine tamen ad Sacramentum, id est, cum obligatione suscipiendi illud; non novà, & quale inducit contractus emptionis ad solvendum pretium, cui proinde malè comparatur ab aliquibus contritio justificans; sed quæ antea inerat; non quasi sub conditione remittantur peccata (sape enim contingit, & novit Deus sacramentum numquam suscipiendum) verùm quia per contritionem ita remittuntur à Deo peccata, & gratia justificans infunditur, ut tamen maneat eadem obligatio Sacramenti, ac si de factò nulla esset facta remissio.

56. Quapropter, saluo meliori judicio, per votum Sacramenti sive Baptismi sive penitentia, ut est aliquid distinctum à contritione, non incongruè intelligeretur ipsa obligatio Sacramenti, quæ realiter moraliter distinguitur ab ipsa contritione, ut patet consideranti; nam in lege veteri, & natura eadem erat natura & vis contritionis, & tamen nulla obligatio Baptismi, aut Confessionis.

57. Porro in lege Evangelica hæc in illa includitur, seu illi annectitur; quia Christus instituit & præcepit Sacramenta Baptismi & Confessionis tamquam media per se necessaria ad remissionem peccatorum; de cæterò intactam relinquens vim justificandi, quam antea habebat contritio ne fortè in necessarijs deesset suæ Ecclesiæ; cum frequenter possit occurrere casus in quo Sacramentum, maximè penitentia sit impossibile.

Ex quo confestim cognoscitur, quòd, licet contritio respiciat etiam alia præcepta, equidem magis speciali titulo concurrat ad justificationem propter votum Sacramenti, quàm aliorum præceptorum; quia alia præcepta non influunt directè in remissionem peccatorum sed solum removendo prohibens, conservant & ex opere operantis augent justitiam præhabitam. At verò Sacramentum re susceptum per se, & directè, quamvis solum moraliter, influit gratiam justificantem, vel primam, si illam non reperiat, vel saltem ejus augmentum ex opere operato. Ergo potiori ratione dicitur contritio justificare per ordinem seu votum Sacramenti, quàm per votum v. g. restitutionis aut alterius similis præcepti; tamen si revera non justificaret, si votum istud non includeret.

Sed contra: Homo contritus obligatur etiam præcepto Eucharistia, quæ per se & directè causat gratiam, etiam interdum primam; sed hoc non obstante non dicitur necessarium esse votum Eucharistia ad remissionem peccati per contritionem: Ergo votum Sacramenti requisitum hinc ad remissionem peccati, non est sola obligatio suscipiendi Sacramenti; quia hæc est effectus legis, votum autem spectat ad dispositionem, & voluntatem nostram.

Confirmatur primo; obligatio suscipiendi Sacramenti non oritur ratione contritionis, sed peccati, & supponitur ad contritionem pro omni tempore, quo quis est in peccato, à quo non absolvit contritio, sive habeat explicitam, sive implicitam voluntatem ejus adimplenda; quin etiam manet cum contraria voluntate: ergo talis obligatio inaniter reducitur ad contritionem tanquam in ea inclusam, vel ipsi annexam ex sua perfectione: ergo votum Sacramenti est aliud à dicta obligatione. Ita Hiquæus supra n. 110.

Confirmatur secundo; si aliquis contritatur de peccatis præteritis confessis, quæ re ipsa fuerunt remissa; nulla est in eo obligatio ad Sacramentum confessionis, eum eadem peccata bonâ fide subjecerit clavibus; & ponamus in Sacramento deleta: ergo falsum est contritionem includere votum implicitum confessionis ex natura actus. Ita præfatus Auctor supra n. 111.

Verùm advertere debuisset, Concil. Trident.

58. Contritio magis specialiter titulo concurrat ad justificationem propter votum Sacramenti, quàm aliorum præceptorum, quia alia præcepta non influunt directè in remissionem peccatorum sed solum removendo prohibens, conservant & ex opere operantis augent justitiam præhabitam. At verò Sacramentum re susceptum per se, & directè, quamvis solum moraliter, influit gratiam justificantem, vel primam, si illam non reperiat, vel saltem ejus augmentum ex opere operato. Ergo potiori ratione dicitur contritio justificare per ordinem seu votum Sacramenti, quàm per votum v. g. restitutionis aut alterius similis præcepti; tamen si revera non justificaret, si votum istud non includeret.

59. Contritus obligatur præcepto Eucharistia, quæ per se & directè causat gratiam, etiam interdum primam; sed hoc non obstante non dicitur necessarium esse votum Eucharistia ad remissionem peccati per contritionem: Ergo votum Sacramenti requisitum hinc ad remissionem peccati, non est sola obligatio suscipiendi Sacramenti; quia hæc est effectus legis, votum autem spectat ad dispositionem, & voluntatem nostram.

60. Confirmatur primo; obligatio suscipiendi Sacramenti non oritur ratione contritionis, sed peccati, & supponitur ad contritionem pro omni tempore, quo quis est in peccato, à quo non absolvit contritio, sive habeat explicitam, sive implicitam voluntatem ejus adimplenda; quin etiam manet cum contraria voluntate: ergo talis obligatio inaniter reducitur ad contritionem tanquam in ea inclusam, vel ipsi annexam ex sua perfectione: ergo votum Sacramenti est aliud à dicta obligatione. Ita Hiquæus supra n. 110.

Confirmatur secundo; si aliquis contritatur de peccatis præteritis confessis, quæ re ipsa fuerunt remissa; nulla est in eo obligatio ad Sacramentum confessionis, eum eadem peccata bonâ fide subjecerit clavibus; & ponamus in Sacramento deleta: ergo falsum est contritionem includere votum implicitum confessionis ex natura actus. Ita præfatus Auctor supra n. 111.

Verùm advertere debuisset, Concil. Trident.

Occurritur
obiectioni
facta ab
Hiquo)

dent. loqui de contritione primò remissiva peccatorum, vel, ut clarùs dicam, primò remittente peccata, quæ procul dubio ex natura sua, posito præcepto Sacramenti, includit ejus propositum. Et alioquin quomodo vera erit tertia ejus conclusio n. 113. *Remissio inquit, peccati est per ipsam contritionem, ut hæc circumstantia voti Sacramentalis affecta est, sine qua non remittit peccatum; neque est perfecta contritio?*

Putas negaret contritionem de peccatis præteritis, esse perfectam contritionem? Non puto: & tamen non est affecta circumstantia voti Sacramentalis. Quid ergo? Contritio ex natura sua dicit implicitum ordinem ad omnia præcepta; cumque supponatur præceptum confessionis adimpletum, quid miramur si hujusmodi contritio sit perfecta, tamen actu non respiciat confessionem istorum peccatorum? Igitur secunda confirmatio non est ad rem.

61.

& assignatur differentia inter Baptismum ex una,

& Eucharistiam ex altera parte;

Porro ad principale argumentum assigno differentiam inter Baptismum & Pœnitentiã ex una parte, & Eucharistiã ex altera, quòd duo priora Sacramenta per se & primariò instituta sint ad primam gratiam conferendam, sive in remissionem peccatorum; Eucharistia autem ad augmentum tantùm gratiæ justificantis; & idèò contritio remissiva peccatorum, de qua hæc solùm agitur, ut mox dictum est, magis in causando respicit Baptismum & Pœnitentiã, atque à Trident. vocatur votum eorum magis quàm votum Eucharistiæ.

præcipuè cum necessitas Eucharistiæ sit solam præcepti,

ut patet ex eius institutione.

Accedit quòd nemo possit salvari sine Baptismo aut ejus voto, quod sit contritio, vel contritioni conjunctum; salvarur autem Baptizatus absque Sacramento Eucharistiæ cum simplici desiderio illud tempore suo suscipiendi. Unde necessitas Eucharistiæ non est mediæ, sed præcepti dumtaxat.

Patet; quia augmentum gratiæ, ad quod primariò institutum est, quamvis ad melius, non tamen simpliciter est necessarium ad consequendam æternam beatitudinem, quemadmodum gratia baptismalis, aut confessionalis. Et quod hinc sequitur, ignorans invincibiliter præceptum Eucharistiæ salvabitur per solam gratiam Baptismi absque ullo actu justificativo, secus invincibiliter ignorans Sacramentum Baptismi, aut confessionis.

62.

Ad illud quod addebat; obligatio est effectus legis; votum autem dispositio voluntatis; Respondeo, contritio est optima dispositio voluntatis; & obligatio esto sit effectus legis, seu voluntatis legislatoris, at tamen suo modo recipitur in voluntatem

subditi, utpote morale vinculum alligans voluntatem ad hoc vel illud faciendum.

Sed quid ad primam confirmationem? Quòd nemo umquam docuerit obligationem confitendi oriri ex contritione, aut in ea includi, vel ipsi annexam esse ex sua perfectione. Constat sanè apud omnes contritionem hodiernam nequaquam præstare contritioni veteris, aut naturæ legis; in qua tamen nulla erat obligatio confitendi.

Quid igitur? Oritur ex perfectione contritionis, quæ super omnia detestatur peccatum, quòd ipsa sit virtualis voluntas confitendi, inducta jam obligatione, quæ antea non erat, per positivum Christi præceptum. Annectitur itaque; & quasi includitur obligatio in contritione, radicaliter quidem ex voluntate Christi præcipientis pro tempore legis Evangelicæ tanquam perfectioris præter contritionem (quæ sola antea sufficiebat) externam peccatorum confessionem; formaliter verò ex natura ipsius contritionis, quæ talis est ut per eam penitens velit & desideret efficaciter adimplere omnia præcepta divina, ac proindè continet efficax desiderium sacramentalis confessionis suo tempore faciendæ, & sacerdotalis absolutionis.

Quòd autem hoc desiderium debeat esse explicitum & distinctum ab ipsa contritione, ex hæcenus dictis ab illo Auctore non satis ostenditur, ut patet ex eorum solutione. Cumque ex reg. juris 65. de Reg. Juris in 6. *In pari causa potior sit conditio possidentis*, sto pro libertate mea, & judico non esse obligationem voti expliciti & physicè distincti ab actu contritionis; sed ipsam secundum se, non tamen sine voto, quod in ea includitur, ante realem susceptionem Sacramenti justificare.

His præmissis pro explicatione terminorum, veritas conclusionis se ipsa est manifestata, accedente verbo Christi Ioan. 3. vnanimi consensu Patrum, ac sensu, quem tenuit & tenet Sancta Mater Ecclesia, cujus est judicare de vero intellectu & interpretatione Scripturarum sanctarum. Porro sensus Ecclesiæ est, neminem prorùs sive parvulum sive adultum vià ordinariã post Evangelium promulgatum transferri ab eo statu, in quo nascitur filius iræ, in statum gratiæ & adoptionis filiorum Dei sine Baptismo, aut ejus voto.

Dico, viã ordinariã, propter Martyrium, quod in conclusione excepti; quamvis enim non sit medium communiter à Christo institutum ad justitiam, aut salutem æternam, ut dixi disp. præcedenti Sectione 1. conclus. 1. adeoque non propriè conferat gra-

61.

Attendit obligatio sacramentalis

radicaliter ex voluntate Christi

formatur ex natura contritionis que tunc est votum desiderium confessionis

quod non debet esse explicitum & physicè distinctum ab actu contritionis

obstat ex consensu Patrum

& Ecclesiæ

Explicitè martyrium

gratiam ex opere operato, quemadmodum Sacramenta, id est, ex vi suae institutionis; Deus tamen per extraordinariam suam providentiam liberaliter promissit infusionem gratiae omnibus mortem pro se sustinentibus, sive absque eorum merito, puta parvulis, aut certe supra meritum, ut adultis; & hoc est Martyrium gratiam causare quasi ex opere operato.

65. Qui à deo est liberaliter promissa gratia

Sine vel supra meritum.

65. Hanc promissionem lego apud Matth. 10. v. 32. Omnis ergo qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo. Et Mar. 8. v. 35. scriptum reperio: Qui autem perdidit animam suam propter me & Evangelium, salvam faciet eam. Vel, ut loquitur Luc. cap. 17. v. 33. Vivificabit eam, hic per gratiam & in altera vita per gloriam. Ita unanimiter intelligunt has Scripturas SS. Patres, qui in effectu comparant, imò quandoque praefereunt Martyrium Baptismo; ut latius edissero sect. ultimâ hujus disputationis.

66. Hec promissio ostenditur ex scriptura, Mar. 1. Luc. 17.

Junctâ Patrum interpretatione.

66. Addidi, post Evangelium promulgatum, in quo datur intelligi tempus, à quo Baptismus coepit esse medium necessarium, Pro quo pono sequentem conclusionem.

CONCLUSIO IV.

Baptismus ab institutione sua fuit utilis; coepit autem obligare Hierosolymis in die Pentecostes, quando primum Apostoli solemniter Evangelium praedicaverunt; in alijs autem locis deinceps sicut eis praedicabatur.

66. Baptismus ab institutione sua fuit utilis, Scotus.

66. Prima pars est communis. Docet eam Scotus 4. dist. 3. q. 4. n. 8. ibi: Quia si ante passionem aliquis Iudaeus ad predicacionem Christi vel Petri parvulum suum baptizasset, & non circumcidisset; si parvulus fuisset mortuus, salvatus fuisset; quia recepit gratiam in Baptismo: à prima enim institutione Baptismus contulit gratiam.

Cam non erat ratio eligendum differendi

Aloquin ut quid discipuli Jesu Joannis 4. v. 2. baptizasset? Certe nulla fuit ratio effectum Baptismi differendi usque ad tempus necessitatis. Sic quippe Eucharistia utilis fuit, antequam necessaria. Quin imò repugnat Baptismus fuisse institutum in ratione Sacramenti novae legis, & non contulisse gratiam susipientibus sine obice; etenim fuisset signum gratiae efficax, & non

Imò id repugnabat.

efficax. Efficax, quia supponitur Sacramentum, quod essentialiter definitur signum practicum gratiae: inefficax, quia inutile.

Solum ob stare videtur, consequens inde esse, pro illo tempore Circumcisionem non fuisse necessariam, cum tamen omnes doceant legem veterem (cujus janua erat Circumcisio, quemadmodum Baptismus legis Evangelicae) non fuisse mortuam sive extinctam ante mortem Christi, forte nec ante promulgationem legis Evangelicae in Pentecoste, ut multi cum Scoto docent in tractatu de Legibus, ubi de cessatione legis veteris.

Stante etiâ circumcissionis necessitate.

Sanè necessitatem Circumcisionis usque ad mortem Christi, expressis verbis tradit Doctor in Report. editionis Colonienfis eadem dist. quaest. 5. n. 2. ibi: Sed dupliciter fuit promulgata facta Baptismi. Vno modo per modum consilij, Christo veniente in carne, sed non per modum praeccepti: alio modo per modum praeccepti. Primo modo non fuit necessarium recipere Baptismum, quia tunc imponebatur necessario Iudaeis Circumcisio usque ad passionem Christi, & legis Moisaicae: quod probant aliqui, quia Christus ante passionem suam comedit agnum Paschalem, quod non fecisset, nisi necesse fuisset Iudaeos adhuc servare legem Moisaicam. Patet igitur quod ita est.

67.

Quam pro tunc admittit Scotus,

Et tamen consequens supra positum videtur docere in primo scripto n. 12. inquit: Sed quantum ad Circumcisionem distinguo quatuor tempora. Pro primo erat necessaria: pro secundo utilis, non necessaria: pro tertio nec utilis, nec necessaria, tamen licita: pro quarto omnino illicita & mortifera. Primum tempus Circumcisionis praecessit utrumque tempus Baptismi. Secundum tempus Circumcisionis, comitabatur primum tempus Baptismi: nam, sicut argutum fuit prius, ex quo primo consulebatur Baptismus, non fuit Circumcisio necessaria volenti baptizari, sed tunc cucurrit utrumque sub distinctione, ut Iudaeus eligeret quodcumque vellet: licuit enim, & profuit sibi circumcidis, si voluit (nec enim fuit tunc revocata quantum ad utile, nec quantum ad licitum) licuit etiam sibi, imò laudabile fuit baptizari: & hoc etiam satis congruum fuit, quod in tempore intermedio inter duas leges, quando non subito prima tollitur, nec secunda imponitur; illo, inquam, tempore simul currant amba sub distinctione.

Qui sibi hinc videtur contentarius;

Ecce hic adstruit libertatem, ibi necessitatem. Nunquid ergo sibi ipsi contradicit? Minime, sed hic per libertatem intelligit libertatem à necessitate medij, ibi imponit necessitatem praeccepti, hoc est, in primo scripto docet Circumcisionem à tempore institutionis Baptismi non fuisse parvulis medium necessarium ad remissionem

68. Sed concluditur,

nem peccati originalis per consequens ad salutem; in Reportatis autem, affirmat Circumcisionem ex praecepto legis veteris obligasse adultos pro se ipsis & pro suis parvulis usque ad promulgationem Evangelij, saltem usque ad Christi mortem.

Reconciliationis ratio datur

Hunc autem intellectum, sive conciliationem colligo; quia Circumcisio, quae ex Patribus erat ante legem veterem, & ex tunc medium necessarium deletivum peccati originalis pro parvulis, etiam praecepta fuit in lege veteri adultis pro se ipsis, & pro suis parvulis, adhuc praecepti incapacibus, in signum professionis istius legis, & distinctivum populi Judaici ab alijs gentibus, adeo ut omnes Judaei, etiam iustificati per remedium legis naturae in extrema necessitate, aut certe per contritionem, seu amorem Dei super omnia, circumcidere debuerint carnem praeputij sui.

Jos. 5.

Probatur ex scriptura Jos. 5. v. 2. & 3. Eo tempore ait Dominus ad Iosue: fac tibi cultros lapideos, & circumcide secundo filios Israël. Fecit quod iusserat Dominus, & circumcidit filios Israël. Quia, ut ibidem dicitur v. 7. sicut nati fuerant, in praeputio erant, nec eos in via aliquis circumciderat. Non est autem verosimile per annos 40. omisum fuisse remedium peccati originalis. Optime igitur simul stant Circumcisionem fuisse evacuatam à tempore institutionis Baptismi quoad necessitatem medij salutis, & necessariam mansisse necessitate praecepti adultis, & parvulis in signum professionis legis Judaicae.

69.

Quod amplius ex Scoto ostenditur.

Hinc Doctor in primo scripto post verba supra citata ex n. 8., statim sibi objicit: Et si dicitur, quod verum est, quod parvulo suffecisset Baptismus (utique ad salutem) sed pater peccasset non circumcidendo. Quid putatis Ipsum respondisse? Contra, inquit, quia ante octavum diem potuit baptizare parvulum, & ex quo ille habuit iam remedium contra originale, & hoc credit pater (nam credit Baptismus efficacem ad hoc) tunc videtur quod non tenebatur necessario providere parvulo de alio remedio, scilicet contra originale.

Exstante non circumcidendum parvulum à peccato

Ubi non excusat patrem à peccato, si octavo die non adhibuit Circumcisionem praeceptam à lege in signum foederis; sed vel ab omni delicto, si infans mortuus fuerit infra octavum diem, vel à solo peccato contra pietatem, quae patrem obligat ad providendum filiis de remedio contra peccatum originale, quodcumque illud sit.

Non omnia

Quod ejusdem ferè verbis explicat & inculcat in Reportatis loco jam citato n. 7. Si Judaeus, inquit, fuisset baptizatus, & postea baptizasset filium suum post genitum, & ille

puer fuisset mortuus antepassionem Christi, certum est quod fuisset salvatus, quia eiusdem efficaciac fuit Baptismus tunc, sicuti nunc: igitur non fuit necesse istum puerum circumcidere, supple, ut salvaretur, bene, ut pater à transgressione legis, quae praeceperat octavo die circumcidere, excusaretur; quam necessitatem n. 2. ejusdem quaestionis, ut vidimus, expresse asseruit; nisi velimus dicere, Doctorem subtilem in paucis lineis manifeste docuisse contradictoria, quae summa esset tanto Doctori injuria: Cuius doctrina grave illud testimonium extat, quod eius libri absque ullo erroris navo usque in hanc diem trecentos circiter annos in Oecumenicis Concilijs inviolati permanserunt. Ita Antonius Possesivus in apparatu sacro. Ut non immerito sacrae Inquisitionis Generalis Romae Tribunal ante annum 1620. praeceperit, teste Luca Waddingo in vita Scoti cap. 6. doctrinarum aut librorum censoribus, ut quidquid Scoti esse constaret, intactum inviolatumque permitterent.

Haec si ut oportuit considerasset Suarez, non citasset Doctorem Subtilem pro peculiari opinione, ut vocat, aliquorum Scholasticorum docentium, praeceptum Circumcisionis cessasse ante mortem Christi l. 9. de leg. c. 12. n. 2.

Si objicias; eo ipso quo Virginitas est in consilio, Matrimonium non potest esse praeceptum. Disparitatem do, quia actus Matrimonij repugnat Virginitati, non ita Circumcisio Baptismo, si illa consideretur ut est professio legis veteris, pro illo tempore nondum abrogatae secus; pro ut intelligitur determinate necessaria ad remissionem peccati originalis: quia ut bene notat Doctor supra in Reportatis n. 7. Quando duo sic se habent, quod praeceptum ad unum prohibet aliud: consilium de uno licentia aliud dimittere.

Quod autem praeceptum Baptismi prohibuerit praeceptum Circumcisionis definitur in Cap. maiores de Baptismo ibi: Absit ut in illam damnatam heresim incidamus, quae perperam affirmabat legem cum Evangelio & Circumcisionem cum Baptismo servandam.

Sed haec satis de prima parte, transeamus ad secundam, quae pluribus displicet, ijs scilicet omnibus, qui initium obligationis hujus Sacramenti ponunt mortem Christi. Quod enim attinet tempus ante tunc Baptismus non obligasse, sive non fuisse praecepti consilij dumtaxat; quippe Institutio, sicut Doctor supra in primo scripto n. 4. praecepit promulgationem, non enim promulgatur lex, nisi primo sit determinata à legislatore, à quo habeat firmitatem & illa

ista determinatio potest dici institutio nisi etiam ab ipso sit revelata alicui tamquam praeconi solenni, & hoc si per praeconiem illam voluerit promulgari.

Et conuad atexit: De hac institutione dico duo. Primo quod propter eam non erat necessarium simpliciter baptizari quod patet Ioan. 15. v. 22. Si non venissem, & locutus eis non fuisset peccatum non haberent. Quod sic est intelligendum, inquit in Report. supra n. 2. Si non venissem in propria persona, vel in ministro authentico peccatum non haberent. Ex quo infert. Igitur Christus non vult aliquos obligare, nisi per ipsam, vel per seruum authenticum.

Subsumo cum ipso: Sed sola institutio non fuit promulgatio sufficiens communi populo, nec per Christum, nec per seruum authenticum; & infero ex primo scripto: Non ergo per solam istam institutionem praecedentem promulgationem obligabatur populus necessario ad Baptismum, & hoc maxime de isto praeccepto: quia erat tantummodo positivum. Illud autem positivum, quod praecipit de Circumcisione, non debuit statim dimitti, ex quo certum fuit, quod a Deo fuerat institutum; nisi etiam certitudo feret illud secundum fuisse datum a Deo: hac autem certitudo de secundo non poterat haberi sine promulgatione authentica.

Ac ne quisquam obijceret Baptismum ante passionem fuisse promulgatum ab ipso Christo Ioan. 3. v. 5. Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto &c. praesertim accedente publico eius ministerio Ioan. 4. v. 1. & 2. Vi ergo cognovit Iesus, quia audierunt Pharisei, quod Iesus plures discipulos facit, & baptizat, quam Ioannes (quamquam Iesus non baptizaret, sed discipuli eius) reliquit Iudaeam &c.

Huic, dico, objectioni occurrit Scotus supra n. 5. inquit: Secundo, dico quod promulgatio, huius Sacramenti poterat poni duplex, una per modum consilij: alia per modum praeccepti. Hoc autem fuit congruum quod primo promulgaretur per modum consilij. Propter quid? Propter duo, inquit, Primo, quia lex Evangelica, quae est perfectissima, non debet precipitanter imponi, sed homines primo ad illam allici, cadentem ad huc sub consilio, ut postea exercitatis possent sub praeccepto imponi. Secundo, quia lex veteris non erat mala, sicut est idololatria, & ideo non debet subito repelli: in hoc enim fuisset repulsa quasi mala; sed debuit Synagoga cum honore sepeliri, ut ostenderetur fuisse bona pro tempore suo. Impositio autem Baptismi per modum praeccepti, evacuatio fuit Circumcisionis, saltem quantum ad necessitatem. Debuit autem aliquando sequi promulgatio per modum praeccepti, quia aliter nunquam haberet lex ista firmitatem vel necessitatem, saltem quantum ad illud Sacramentum.

Quando ergo Christus Ioan. 3. egit de necessitate Baptismi, egit de futura; veluti

circa Euch. ista legem fecit Ioan. 6. v. 54. Nisi manducaveritis carnem Filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis; cum tamen pro isto tempore nondum esset Euch. ista instituta; ergo similiter, quando Ioan. 3. dixit: Nisi quis renatus fuerit &c. noluit imponere, aut significare obligationem pro tempore praesenti sed pro futuro postquam videlicet lex Evangelica ut talis foret solemniter promulgata.

Adde verba illa Ioan. 3. dicta esse soli Nicodemo, qui venit ad Iesum nocte: porro promulgatio est publica propositio; quare illis verbis nequidem per modum consilij Baptismus fuit promulgatus, minus per modum praeccepti.

Rogas ubi ergo Christus promulgaverit Baptismum per modum solius consilij? Respondedo, ubi publice illum instituit, & administravit; quippe promulgatio haec non aliud est, quam publica doctrina essentiae ac utilitatis huius Sacramenti. Quis autem audeat suspicari Christum per discipulos solemniter baptizasse, antequam instruxisset populum de Sacramento tam utili, & pro futuro tempore tam necessario?

Profecto cum in passione sua Dominus a Pontifice interrogaretur de doctrina sua, fidenter respondit Ioan. 8. v. 20. Ego palam locutus sum mundo: ego semper docui in Synagoga, & in templo, quo omnes Iudaei conveniunt, & in occulto locutus sum nihil, scilicet, quod non vellem publice ab Apostolis annuntiari, iuxta illud Marth. 10. v. 27. Quod dico vobis in tenebris dicite in lumine, & quod in aure auditis predicare si per tecta.

Sed aliud est docere, aliud ferre legem, aliud instar Doctoris ut dere doctrinam Evangelicam, aliud instar Legislatoris proponere legem Evangelicam, significando se velle communitatem obligare ad ejus observantiam. Primum lego Christum fecisse ante suam passionem; secundum non reperio: sed cuidam dicenti Luc. 12. v. 13. Magister dic fratri meo, ut dividat mecum hereditatem; respondet v. 14. Homo, quis me constituit iudicem aut divisorem super vos?

Et quamvis forte Christus Apostolis suis ante mortem praeciperit Baptismum, tamen illud praecceptum non fuit vera lex, defectu communitatis subiecti; lex quippe definitur Praecceptum commune, iustitiae ac stabile, sufficienter promulgatum. Commune, inquam, communitate subiecti, quando praecceptum fertur communitati perfecta; id est, quae tot hominum genera complectitur, ut sibi ipsi sufficient ad politicam felicitatem, sive, cuius membra non tam ordinantur ad bonum unius capitis (sicut fit in privata familia,

Q9

in qua

Unde Ioan. 3. inlinatur Baptis. mi necessitas futura.

Cum pro tunc nequidem promulgaretur per modum consilij.

74.

75.

Nec ante mortem per modum praeccepti.

Luc. 12.

Saltem communitatem concernentis,

72. Non obstante ejuadem promulgatione.

73.

Quae solim fuit e. n. ii. juxta Scotum,

Ne lex Evangelica precipitanter imponeretur,

Et Mofaica subito repelleretur;

73.

in qua omnes ordinantur ad bonum unius patris-familias) quam ad bonum particulare uniuscujusque membri.

74. Certè ante mortem Christi congregatio Apostolorum familia potius erat, quam communitas perfecta. Enimvero institutio Pontificis, & totius ordinis Hierarchici facta est post resurrectionem Joan. 20. v. 21. 22. 23. Pax vobis. Sicut misit me pater, & ego mitto vos. En clavis Jurisdictionis, Sequitur potestas Ordinis. Hæc cum dixisset, misit spiritum, & dixit eis (omnibus scilicet Apostolis) Accipite spiritum sanctum, quorum remiseris peccata, remittuntur eis; & quorum retinueris, retenta sunt.

Ut autem scires cæteris Apostolis, tamquam Legatis dumtaxat, Petro verò ut Ordinatio concedi hanc potestatem, subjecit Joan. 21. v. 17. soli Petro loquens: Pascere oves meas, non docendo tantum, & concionando, ut hæretici volunt; sed regendo quoque, & imperando; pastor namque ovium non solum administrat cibum ovibus; sed etiam ducit, & reducit, tueritur, castigat &c. de quo plura in Tract. de fide.

Igitur præcepta, si quæ fortassis data fuerint Apostolis ante passionem, pro tunc non erant leges propriè dictæ (etenim Irra non in singulas personas, sed generaliter constituntur, aut lex 2. ff. de L.L.) sed potius præcepta personalia, de quibus in præsentem non agimus. De quo ergo Disputamus? An Baptismus ante resurrectionem Christi habuerit vim legis universalis; quam de facto obtinet respectu communitatis generis humani; utque legis positivæ.

Equidem ex doctrina, & consilio Christi oriebatur in hominibus obligatio quædam naturalis ad non contemnendum Baptismum, ut docet Scot. supra n. 5. ibi: Et notandum generaliter, quod promulgatio facta de consilio divino obligat ad non contemnendum. Probat: Qui enim consilium contemnit, contemnit consilientem, in quantum consilientem; & ideo nolens servare consilium divinum Evangelicum, quasi contemnit illud, tamquam irrationabile & infructuosum, peccat mortaliter.

Ei pro majori explicatione adjungit n. 6. Hæc autem dixi de consilio & præcepto divino, quia factus est de humano, etiam loquendo de consilio seu præcepto hominis superioris, seu Prælati: licet enim tam consilium quam præceptum alicuius Superioris contemnere.

Ac ne liberè daretur facultas errandi, aut sinistrè interpretandi mentem ejus, ut plures hoc faciunt, explicat de quo contemptu loquatur: id est, inquit, irrationabile & infructuosum radicare: sed non licet, dum est

Prælati, contemnere non observando, quando non est moraliter certum, quod præceptum sit irrationabile & infructuosum.

Cæterò quoniam mihi lex esse non videtur, inquit Evodius apud D. Aug. lib. 1. de libero arbitrio cap. 5. que iusta non fuerit. Si quidem, ut ait idem Sanctus Doctor lib. 19. de Civit. cap. 21. Quod iure sit profectò iuste sit. Quod autem sit iniuste, nec iure fieri potest. Non enim iura dicenda sunt, vel putanda iniqua hominum constituta, cum illud etiam ipsius esse dicant, quod de iustitia fonte manavit.

Sed quare potius licet contemnere consilium, vel præceptum Superioris humani, quam divini? Quis, inquit Scot. non tenetur aliquis necessario habere falsam opinionem de suo Superiore homine: sed monitio eius, vel præceptum potest in se esse irrationabile, & infructuosum: & rationabiliter & utiliter tunc laborandum est ad eius revocationem, & ad correctionem vel amotionem talis Prælati sive præsentis. Ergo non tenetur subditus reputare præceptum eius tamquam rationale & fructuosum, sed potest oppositum reputare, sicut est, & sic contemnere non approbando.

At verò Legislator divinus, propter creatam & infinitam scientiam suam & bonitatem, nequit aliquid præcipere, aut consulere, quod non sit rationale & fructuosum, adeo ut homo oppositum iudicans, hoc est, contemnens, quantum in se est, destruat illa attributa Dei; quod constat apud omnes gravissimum esse peccatum mortale.

Sic ergo pater, concludo verbis Scoti, quod prima promulgatio Baptismi per modum consilii obligavit omnes, iure naturali religionis, ad non contemnendum, id est, irrationabile & infructuosum iudicandum. Secunda autem per modum præcepti obligavit omnes, ad quos legitime venit, ad suscipiendum. Non venit autem ad communitatem perfectam ante mortem Christi, ut ex dictis liquet; neque probabilis ante Pentecosten; sed in ipsa illa die, ergo ex tunc incepit, & deinceps obligavit, adultos quidem necessitate mediæ & præcepti, parvulos verò, utpote præcepti incapaces, solâ necessitate mediæ, de quo plura sequetur, quæ erit de subiecto Baptismi.

Restat in præsentem probandum ante Pentecosten legem veterem non cessasse in ratione legis, adeoque novam, cuius janua est Baptismus, statim à resurrectione Christi non obligasse formaliter in ratione legis positivæ, hoc est, Baptismum non fuisse necessarium medium ad salutem ante solemnes legis novæ propositionem in die Pentecostes.

Conclusionem nostram tradit Doctor Subtilis 4. dist. 3. q. 4. n. 1. his verbis: Quantum ergo ad istum articulum dico, quod in Baptismo

Unde præcepta pro tunc apostolis data

Erant potius personalia

76. Ex consilio Christi oriebatur obligatio naturalis ad non contemnendum Baptismum. Scotus.

77. Quæ pro illa licet contemnere non tenetur aliquis necessario habere falsam opinionem de suo Superiore homine: sed monitio eius, vel præceptum potest in se esse irrationabile, & infructuosum: & rationabiliter & utiliter tunc laborandum est ad eius revocationem, & ad correctionem vel amotionem talis Prælati sive præsentis.

78. Restat in præsentem probandum ante Pentecosten legem veterem non cessasse in ratione legis, adeoque novam, cuius janua est Baptismus, statim à resurrectione Christi non obligasse formaliter in ratione legis positivæ, hoc est, Baptismum non fuisse necessarium medium ad salutem ante solemnes legis novæ propositionem in die Pentecostes.

Señ. 2. De Effectu & neces. Baptif. Concl. 4. 307

non est distinguere nisi duo tempora, scilicet tempus, quo erat sub consilio, & tempus, quo erat sub præcepto: & primum duravit à principio ex quo prædicabatur Euangelium vel Baptismus per Christum, vel per Apostolos usque ad prædicationem solemnem, & authenticam eiusdem post Ascensionem Christi; ita quod primum tempus nullam habuit differentiam per mortem Christi, nec post eam, ex hoc solo, quod aliter cucurrit post Baptismus, quam ante.

Secundum autem tempus (ut credo) incipit in die Pentecostes in Ierusalem; quia usque ad illum diem Apostoli non prædicaverunt publicè, iuxta illud verbum Christi Luc. 24. Vos autem sedete in civitate, donec induamini virtute ex alto. Sed in die Pentecostes misso Spiritu sancto, solemner prædicaverunt, & apposta sunt illo die circiter tria millia, & baptizati sunt Act. 2. Inde autem ad alias civitates, secundum ordinem cuilibet loco, vel genti erat tempus secundum, quando ibi publice & solemner prædicabatur lex Evangelica; ita quod tempus non incipit simul apud quoscunque, sed de Sion exibat lex, & verbum Domini de Ierusalem iuxta prophetiam Isaia cap. 2. & quibusdam incipit tempus secundum ad mensuram post Pentecosten, & aliquibus ad annum, aliquibus ad decem annos, & sic demum, sicut eis prædicabatur. Puta usque ad perfectam Evangelij promulgationem, id est, publicam & solemner propositionem in præcipuis mundi partibus, argumento Authent. Ve facta nova constitutiones, Coll. 5. tit. 21. Novel. 66. ibi: Sancimus igitur ex illo nostras constitutiones, qua pro testamentis sunt, valere, ex quo in commune facta sunt manifesta; in provincijs autem, ex quo discreta per Metropolitas palam facta sunt, vel postea facta fuerint.

Quam regulam generaliter intellexit de omni constitutione, conformiter ad verba Rubricæ, qua generalia sunt, Pius IV. in Bulla super declaratione temporis ad observanda decreta Concilij Trident. ibi: Iure communi sancitum est, ut constitutiones novæ vim non nisi post certum tempus obtineant. Quod tamen nullibi invenitur nisi in hac Authentica; qua generalibus quoque verbis rationem reddit, dicens: Cur enim culpabimus eos, qui postquam nostras ignoraverint constitutiones, si, eò quod non fuerint sufficienter propostæ, ignorantur.

Et quamquam Deus non adstringatur legibus humanis; non est tamen verosimile voluisse legem suam obligare, aut aliquid esse medium necessarium ad salutem, antequam esset possibilis ejus scientia; jam autem prædicatione Jerosolymis facta in die Pentecostes insufficientis erat, ad cau-

fundam notitiam legis Evangelicæ in eodem tempore pro communitate totius generis humani. Quapropter Marc. ultimo v. 15. dixit Christus discipulis suis: Euntes in universum mundum prædicate Euangelium omni creatura. Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit. Qui vero non crediderit, post prædicationem Evangelij, condemnabitur.

Nota, In universum mundum; ergo ex voluntate Christi non obligabat lex Evangelica universum mundum statim à promulgatione facta in Ierusalem, sed post promulgationem factam in universo mundo, id est, in præcipuis mundi partibus.

Licet autem contingere possit, imò certum sit, multos de facto inveniri, quibus nondum innouit Sacramentum Baptismatis; equidem quis audeat dicere, etiam ijs ipsis Baptismum non esse medium ad salutem necessarium, esto per ignorantiam excusentur à peccato, quod alioquin committerent Baptisma non recipiendo?

Profectò leges humanæ, tam civiles quam Ecclesiasticæ, elapsò à promulgatione in singulis provincijs eo tempore, quo moraliter haberi potuit earum notitia, obligant simpliciter omnes, etiam illos, qui per accidens eas ignorant, bono communi ac naturâ legis ita exigentibus, ut, quemadmodum requiritur promulgatio, id est, publica propositio, quia lex est regula & mensura communis; ita sufficiat illa publica denuntiatio, ex qua nata est generari communis notitia.

Etenim, ut dicitur cap. 1. de conc. præbendæ in 6. Lex seu constitutio, & mandatum nullos adstringunt, nisi ad notitiam pervenerint eorumdem; aut nisi post tempus, intra quod ignorare minime debuissent. Neque enim oportet, quòd notitia constitutionis singulorum auribus per speciale mandatum vel litteras inculcetur, ut habetur cap. 1. de Postul. Prælatorum, Sed id solum sufficit, ut ad eius observantiam teneatur, qui noverit eam (vel noscere debuit) solemner editam, aut (id est, &) publice promulgatam.

Ex dictis sic formo argumentum, eritque probatio conclusionis: lex ut obliget debet edi, & publicè promulgari, non ideo, quia lex humana, sive lata ab homine; sed, quia data communitati hominum ad singulorum vitas, quatenus sunt partes unius corporis, constringendas, atqui Baptismus in ratione legis obligantis universum mundum non legitur modo universitati hominũ accommodato, id est, publicè & solemner propositus, vel in morte Christi, vel in ejus resurrectione aut ascensione, vel, ut uno verbo dicã, ante Pentecosten; ergo ante hanc diem

non

Mar. ult.

Præcipuè respectu Baptismi

Promulgandi ex voluntate Christi per totum mundum.

80.

Non debet constitutio singulorum auribus inculcari.

81.

Sed sufficit edita & publicata.

Quod non fuit factum in constitutione Baptismi ante Pentecostes.

Luc. 24. v. 49.

Act. 2. v. 41.

Nisi post sufficientem promulgationem,

Isa. 2. v. 3.

Quæ non fuit in omnibus mundi partibus æqualiter facta.

Finis 17.

Novæ constitutiones non nisi post certum tempus vim obtinent.

79.

Quod de divinis est etiam dicendum.

non incepit formaliter obligare; sed in ipsa die in Ierusalem, & deinceps in alijs locis, sicut in eis Euangelium juxta mandatum Christi predicabatur.

Dico, non incepit formaliter; quia sicuti lex vetus fundamentaliter seu radicaliter extincta fuit in morte Christi, ita etiam nova lex causaliter fuit confirmata. Sed quæ ista causa? Solutio pretij redemptionis.

Et hoc tantum probant autoritates Apostoli ad Hebr. 8. v. 13. Dicendo autem novum veteravi prius, scilicet, in causa; nam statim subjungitur: Quod autem antiquatur & senescit prope interitum est. Ergo nondum formaliter mortuum, sed brevi moriturum. Cap. 9. v. 15. & sequentibus: Et ideo novi testamenti mediator est; ut morte intercedente, in redemptionem earum prævaricationum, quæ erant sub priori testamento, reprobationem accipiant, qui vocati sunt æterna hereditatis. Vbi enim Testamentum est, mors necesse est intercedat Testatoris. Testamentum enim in mortuis confirmatum est; alioquin noudum valet, dum vivit, qui testatus est.

Confirmatur quidem testamentum per mortem testatoris, tamen formaliter non obligat, nisi postquam legitime fuerit apertum. Similiter ergo testamentum novum, sive lex Evangelica confirmata quidem fuit in morte, & per mortem Christi, non tamen formaliter obligavit, nisi postquam apertum fuit in Pentecoste per publicam ejus propositionem, quæ est modus ordinarius & hominibus accomodatus, ut possint uniformiter legem servare. Enim vero Deum fuisse usum extraordinariâ providentiâ, singulis hominibus in particulari intimando suam voluntatem, unde constat?

Ut quid igitur mandavit Apostolis Matth. ultimo v. 19. dicens: Euntes docete omnes gentes, obligationem novæ legis, Baptizantes eos in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti: docentes eos servare omnia quæcumque mandavi vobis? Certè frustraneum fuisset illud præceptum, si, quemadmodum ab initio per seipsum cordibus singulorum inscripsit legem naturalem, ita etiam in morte sua singulorum cordibus inscripsisset legem Evangelicam.

Unde scriptum reperio apud Apostolum ad Hebr. 8. v. 10. Quia hoc est testamentum, novum, quod disponam dominus Israël post dies illos, dicit Dominus: dando leges meas in mentes eorum, & in corde eorum superscribam eas, abundantiori scilicet gratia aperiendo corda eorum intendere his, quæ ab Apostolis & eorum successoribus predicabuntur. Et ipse enim, inquit Apostolus ad Ephes. 4. v. 11.

dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios vero Evangelistas, alios autem Pastores & Doctores ad consummationem sanctorum in opus ministerij, in ædificationem corporis Christi, quod est eius Ecclesia.

Lege librum, cui titulus Actus Apostolorum & dicit tibi cap. 16. v. 14. Dominum in corde Lydiæ scripsisse legem suam non per se immediatè, sed medio colloquio Doctoris Gentium aperiendo cor ejus gratiâ suâ præveniente & adjuvante, intendere his, quæ dicebantur. Hæc sunt verba textus: Et quædam mulier nomine Lydia, purpuraria civitatis Thyatirenorum, colens Deum, audivit: cuius dominus aperuit cor intendere his, quæ dicebantur à Paulo.

Quando ergo Apostolus supra ad Hebr. 8. v. 11. ex Ieremia cap. 31. v. 34. dicit: Et non docebit unusquisque proximum suum, & unusquisque fratrem suum dicens: cognosce dominum &c. non intendit excludere ministerium & doctrinam Apostolorum, aliorumque Doctorum, & præconum Evangelij (seipsum quippè agnoscit prædicatorem fidei in actu exercitio, & signato innumeris pœnè locis) sed solum vult, in lege novam tam facilem fore, auditâ Evangelij prædicatione, Dei cognitionem, cultum, amorem & obedientiam; ut sponte suâ eò procurant homines; cum tamen Iudæi in veteri testamento vix minis & pœnis compelli possent ad relinquendum idola, & ad verum Deum cognoscendum, colendum, amandum, eique obediendum. Nulla ergo est ratio dicendi Deum fuisse usum extraordinariâ providentiâ in constitutione legis Evangelicæ.

Secundum jam dicta explicat verba illa Christi pendens in cruce, Ioan. 19. v. 30. Consummatum est, Scorus supra n. 18. ibi: dico quod hoc intelligatur de his, quæ scripta sunt de filio hominis, iuxta illud Luca 18. v. 31. Ecce ascendimus Ierofolyam, & consummabuntur omnia, quæ scripta sunt per Prophetas de filio hominis. Vel si illud referatur ad antiquam legem, sic debet intelligi, consummatum est in causa. Nam mors Christi causa est confirmationis legis Evangelicæ: sed illa non fuit consummata tamquam necessaria ad observandum ante predicationem eius publicam, quæ non incepit in passione, sed in Pentecoste; rempore enim intermedio sederunt in cenaculo, nemini solemniter, vel publicè predicantes.

Verissime ergo dixit Apostolus Rom. 7. v. 4. Itaque fratres mei & vos mortificati estis legi per corpus Christi, intelligendo de corpore Christi crucifixio; quippe per virtutem & efficaciam passionis Christi mortificati sumus legi, vel lex ipsa mortua est, quoad sufficientiam.

82.

Sic ut formaliter obligaret.

Hebr. 8.

Item 9.

De extraordinaria in timationis vis non constat.

Matthæum.

Ne frustra datum foret predicatio nis præceptum.

83. Hebr. 8.

Ad quod recipiendum Deus corda disponit

Ephes. 4.

sufficiantiam in ipsa morte Christi; quoad efficaciam verò seu cum effectu non statim, sed postea congruo tempore extincta fuit virtute ejusdem corporis Christi, seu mortis ejus.

86. Nec obstat quòd Apostolus adferat exemplum mulieris, quæ statim per mortem viri solvitur ab ejus lege: *Nam quæ sub viro est, inquit v. 2. mulier vivente viro alligata est legi: si autem mortuus fuerit vir eius, soluta est à lege vii.* Non obstat, inquam: quia Apostolus non comparat mortem Christi cum more viri; & ideo non dixit, *In morte Christi*, sed, *per corpus Christi* tamquam per causam sufficientem ad extinguendam Synagogam, quæ viro morienti comparatur.

Aut extinctions synagoga,

Quæ congruo tempore debuit sepeliri,

Facilius scilicet sufficiens est novæ legis promulgatione

87. Equidem non repugnat quidpiam esse necessarium simul necessitate mediæ, & præcepti: quin eo ipso, quo aliquid est medium necessarium, præceptum finis, etiam est præceptum mediæ, v. g. existente præcepto Ecclesiæ audiendi sacrum, si quis non habeat sacrum, quod possit audire, nisi in una Ecclesia, eodem præcepto tenetur exire domo, & ire ad illam Ecclesiam; idque quia accessus ad templum est unicum medium necessarium ad finem, scilicet auditionem missæ, quæ si hæc & nunc non obligat, neque erit obligatio mediæ, etsi alioquin necessarij ad finem illum obtinendum.

Non potest esse baptismus necessarius, sicut, sicut, sicut.

88. Atque ut per possibile vel impossibile

non foret obligatio procurandi æternam salutem, adhuc Baptismus maneret medium necessarium ad eam obtinendum, cum scriptum sit: *Nisi quis renatus fuerit &c.* Sicuti adire templum in exemplo supra allato est medium necessarium ad audiendum Sacrum, etiam non præceptum.

Amplius dico, adhuc foret obligatio suscipiendi Baptismus. Et si à me quaeritur qualis sit illa obligatio? Respondeo citò, juris positivi divini, Matth. ultimo v. 19. *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti*; prout Ecclesia Catholica verba illa semper intellexit.

Et obligatio totius

Vi juris positivi divini:

Nec id alicui mirum videri debet; siquidem Baptismus in re est janua & professio legis Euangelicæ, sicut olim Circumcisio erat janua & professio legis Mosaicæ. Et verò lex Euangelica positiva est, an naturalis? Positiva, inquis. Rectè judicasti. Ergo lex Baptismi in re, quidni similiter positiva? Respondes, quia non sunt multiplicandæ obligationes sine necessitate.

89.

Contra; Baptismus in re non est medium determinatè necessarium, sed sub disjunctione in re vel in voto; ergo planè conveniens fuit, ut superinduceretur determinata obligatio positiva, tum in ordine ad justificationem, tum maximè in ordine ad professionem legis Euangelicæ; immo sine hac obligatione numquam fuisset medium necessarium ad salutem Baptismus in re vel in voto; sed solum Baptismus vel contritio; siquidem quòd contritio nunc sit votum Baptismi, dependet ab illo præcepto positivo.

Ex quo dèbetur quòd contritio sit votum baptismi,

90.

Igitur justificatis per contritionem Baptismus est necessarius solà necessitate hujus præcepti positivi, hoc est, ut vitetur novum peccatum, licet alioquin sit medium conferens illis gratiam justificantem. Patet; quia si propter impossibilitatem non suscipiatur Baptismus in re, sic tamen salvi erunt. Sed & hi non nisi per votum Baptismi ad statum gratiæ pervenerunt; nisi sit sermo de justificatis antequam lex Baptismi obligaret; nam pro tunc contritio non continebat votum Baptismi.

Equidem si adhuc tempore obligationis vivebant, & in nova peccata lapsi erant, debebant per baptismum, aut ejus votum liberari, & similiter quantumcumque justis essent, per susceptionem Baptismi in re à novo peccato preservari. E contrario autem Baptismus respectu parvulorum ita est medium necessarium, extra casum Martyrij, ut sine illo realiter suscepto nequeant salvari, tamen, quia incapaces, nulla in eis inveniat

Qui parvulis extra martyrium est absolutè necessarius,

veniatur obligatio præcepti.
 Quæ omnia, ut cuius plenius constare possint, tantaque claritate ac certitudine, quod insolentis planè foret pervicaciæ nol-

le credere, operæ pretium duxi novam instituire sectionem de subjecto & præcepto Baptismi.

SECTIO QUARTA.

De Subjecto & præcepto Baptismi.

1. Anabaptistæ docent parvulos non posse validè baptizari.

Declaratam præcedenti sectione necessitatem Baptismi respectu parvulorum pertinaciter negant Anabaptistæ, cauſantes eos nec debere, imò nec posse validè baptizari, quos etiam ideo rebaptizant, cum pervenerint ad adultam ætatem; sed supposita capacitate, de qua statim dissero, & admissio peccato originali cum Ecclesia Catholica, de quo in tract. de Virtutibus & vitijs in communi, arbitrator necessitatem evidenter satis ostendi ex generalitate verborum Scripturæ, Concilij Florentini & Tridentini, quæ videri possunt sectione præcedenti conclusionè 2. in principio. Sit itaque

CONCLUSIO I.

Puer extra uterum matris est capax Baptismi.

2. Conſentit Scotus si puer sit secundum omnes suas partes in utero.

Dico, extra uterum, quia existens secundum omnes suas partes in utero, non potest baptizari; *Non* (inquit Scotus 4. dist. 4. q. 3. n. 3.) quia coniunctus est causæ corruptionis (sic quippe non posset habere Baptismum Flaminis, vel Sanguinis, quorum utrumque est falsum) sed quia Baptismus est lotio vel ablutio in aqua: sed parvulus sic in utero non potest lavari; quia nec sic immediate tangi ab aqua. Loquitur Doctor de suo tempore, quando nondum erat inventa, vel saltem ipsi nota methodus, quam hodierni medici affirmant, lavandi puerum in utero per metrenchyten.

3. Si objicias, parvulus in utero matris inficitur peccato Adæ; ergo etiam potest ab illo liberari. Respondeo cum Doctore supra n. 4. Sed non per istud Sacramentum; quia dum est in utero matris capax non est huius Sacramenti.

Per idem respondeo ad secundum argumentum apud Scot. supra n. 1. Parvulus in utero potest liberari à servitute temporali; patet ex manumissione matris; ergo &c. potest ergo

ibi baptizari. Respondeo, inquam, neg. con. Rationem disparitatis iple assignat n. 4. Quia quantum ad servitute temporalem filius dum est in utero non est distinctus à matre, non enim habet dominium dominium in parvulo, nisi quia in matre: sed quantum ad servitute, vel libertatem spiritualem... ista respectu distinctam personam: parvulus autem in utero est ita distinctus in persona à matre, sicut extra uterum.

His præmissis de puero in utero; Conclusio definitur contra Anabaptistas & alios hæreticos in Concil. Trident. sess. 7. de hoc Sacramento can. 12. his verbis: Si quis dixerit neminem esse baptizandum nisi ætate, quæ Christus baptizatus est, vel in ipso mortis articulo; anathema sit. Et can. 13. Si quis dixerit, parvulos eo quod actum credendi non habent, suscepto Baptismo inter fideles computandos non esse; ac propterea, cum ad annos discretionis pervenerint, esse rebaptizandos; aut præstare omitti eorum Baptisma, quam eos non actu proprio credentes baptizari in sola fide Ecclesie; anathema sit.

Eandem veritatem pridem definiat Concil. Milevitanum II. c. 2. sequentis tenoris. Item placuit ut quicumque parvulos recentes ab utero matrum baptizandos negat.... anathema sit.

Confirmatur ex cap. Firmiter de summa Trinitate ibi: Sacramentum verò Baptismi.... tam parvulus quam adultus in forma Ecclesie à quocumque ritè collatum proficit ad salutem. Et c. Maiores de Baptismo ibi: Cum ergo Circumcisio tam adultis, quam parvulis ex præcepto Domini conferretur: ne Baptismus, qui successit loco ipsius, & generalior tamen existit, cum tam viri, quam femine baptizentur, minoris videatur effectus, tam adultis, quam parvulus est conferendus.

Accedit perpetua Ecclesie traditio, cuius testis est D. Aug. lib. 4. de Baptismo c. 23. ibi: Quod traditum tenet universitas Ecclesie, cum parvuli infantes baptizantur, qui certe non possunt corde credere ad iustitiam, & ore confiteri ad salutem, quod latro potuit, quando etiam silendo & vagiendo, cum in eis mysterium celebratur, ipsis mysticis vocibus obſtreperant, & gratiam